



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Decreta Provinciae Mediolanensis Svb B. Carolo Borromeo, Cardinale  
Archiepiscopo, Diuersis temporibus in sex Concilijs, totidemq[ue]  
voluminibus edita

**Speciano, Cesare**

**Brixiae, 1603**

De Svmma Trinitate, Et Fide Catholica. Liber Primus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10553**

I

# DE SVMMA TRINITATE, ET FIDE CATHOLICA.

*Libet Primus. Tit. Primus.*

Cap. Primum.



**P**RIMA, & maxima Pastorum cura versari debet in ijs, qua ad fidem catholicam, quam Sancta Romana Ecclesia colit, & docet, & sine qua impossibile est placere Deo integrè, inuiolateq; conseruandam pertinent: ideo nos hinc potissimum exordiendum esse duximus, vt, quæ ex eodem spiritu est fides, eandem vna oris confessione profiteamur.

Heb. 11.  
inter ini-  
tia.

Quicumque beneficiatus in prima synodo professionem fidei emittat. Cap. I I.

**S**acri igitur Tridentini Concilij, & constitutionis Pij Quarti auctoritate innixi mandamus, vt omnes ij, qui beneficia Ecclesiastica obtinent, vel in posterum obtinebunt, & qui in Synodum Diæcesanam conuenire debent, in ea synodo, quæ primo quoq; tempore celebrabitur, si prius eam nõ emiserint, professionem fidei emittant ex formula ab eodẽ Pio Quarto prescripta.

Sess. 24.  
c. 12. de  
reforma.  
Bulla Idi-  
bus No-  
uembreis  
1564. in-  
ter eius  
constitu-  
tiones in  
Bullario  
nu. 114.  
fo. 82.

Canonici, & alij qui professionem fidei emittant. Parochi item Episcopo ludimagistros deferant. Cap. III.

**E**piscopus Constitutionem eiusdem Pij Quarti de professione fidei facienda ab ijs, qui de beneficijs curatis, & Canonicijs prouisi sunt, & a docentibus literas ab omnibus inuiolatè seruandam curet: presertim verò ab ijs, qui cuiuscunque status, conditionis, & dignitatis sint. quouis modo, vel nomine, publicè, aut priuatim domi suæ, vel alienæ, etiam si pedagogi sint, pueros, adolescentes, aliosve cuiuscunque sexus, & ætatis, quascunque artes literarias, vel aliàs liberales, etiam si ipsa prima Grammatica rudimenta, legendo, interpretando, vel repetendo, uel alia quauis ratione, etiam si gratis doceant; quorum etiam omnium mores, antequam ad docendum accedant probare debet; alioquin de ijs pœnas in eadem constitutione propositas sumat.

Qui verò huic decreto non obtemperauerit seuerè puniatur. Ut autem, id facilius, ac melius effici possit; studiose inquirent Parochi quinam in suis Parochijs, eo docendi munere fungantur; & eorum nomina ad Episcopum ad mensẽ, à die quo id cognouerint numerandum deferant.

A Defe-



Deferant etiam suspectos de hæresi, & populum moneant. Cap. I I I I.

**P**arochi diligenter animaduertant an in suis Parochijs ullus sit, quod ad fidem attinet, prauis opinionibus imbutus, vel eo nomine suspectus, eumque ad Episcopum, vel Inquisitorem deferant. Moneant præterea populum, debere omnes, si quos nouerint aliquid fecisse, vel dixisse, quamobrem de huiusmodi peccato in probabilem suspicionem venerint, statim deferre.

Aduenientes à finibus hæreticorum obseruent, & deferant. Cap. V.

**O**bseruent etiam eos, qui ex finibus hæreticorum, vel hæresis nomine suspectorum veniunt; singulorumque dicta, & facta odorantur; ac de eorum vitæ consuetudine, & ratione cognoscant. Et si qua de ijs suspicio fuerit, Episcopum, vel Inquisitorem admoneant.

Moneant nè quis ad hæreticos quauis ex causa commoretur. Cap. V I.

**M**oneant Parochi suæ Parochiæ homines nè percipiendæ etiam linguæ causæ, aut mercaturæ, aliove nomine in hæreticorum locis instituatur, aut commorentur.

Index librorum vetitorum passim seruetur. Cap. V I I.

**E**piscopi regulas indicis de libris vetitis, ab ijs, qui illi negotio à Sanctæ Sede Apostolica præfati sunt, & erunt in futurum, ex auctoritate Sanctissimi D. N. editas, ab omnibus librorum Impressoribus, ac Bibliopolis ceterisque omnibus Laicis, & Ecclesiasticis personis seruari iubeant.

Notarius in Episcopali Archiuo eorum, qui professionem fidei emisissent nomina descripta asseruet. Cap. V I I I.

**I**n aliquem certum librum, qui in Episcopali Archiuo asseruetur, eos omnes, ac singulos Cancellarius Episcopalis ordine referat, tum qui professionem fidei emisissent, tum etiam qui in posterum præstabunt in singulis synodis deinceps sequentibus.

Vita, & mores inquirantur eorum, qui ad professionem fidei tenentur, ad quam etiam professores artium liberalium tenentur. Cap. I X.

Vide infra de Magistr. c. 3. 4. et 5

**Q**uod ex Pij Quarti Pont. Max. sanctione supra de ijs, qui fidei professionem facere debent, de quibus illorum ipsorum Vita, & moribus ante inquirendis, & probandis decretum est; id Episcopus omnino efficiat, ut præstatur;



tum compellat præterea ad idem omnes, ac singulos, sicut etiam à Sancta sede Apostolica declaratum est, quicumque arithmeticam, & musicam, vel artes cuiusvis generis liberales profitentur.

Formula verò, ad cuius præscriptam fidei professionem præstari oportet, illa sanctione Pij Quarti, in fine huius libri describetur.

Concionatores, confessarijque nisi prius emissa fidei professione, munus suum ne obeant. Cap. X.

**N**emini, etiam regulari, ne in sui quidem ordinis Ecclesia concionari permittat Episcopus, antequam sibi, aut suo Vicario, ille quicumque concionaturus est, fidei professionem, ad sanctionis quam Pius Quartus edidit, præscriptam formam præstiterit. Vbi verò semel præstiterit, non opus erit iterum ob eam causam eidem Episcopo præstare, sed satis sit professionis, ei semel illo nomine præstitæ, testimonium scriptum, atque obsignatum afferre, & exhibere.

Id omne de confessorijs sacerdotibus sancimus, & decernimus.

Idem circa Medicos Physicos, & Chirurgos seruetur.

Cap. X I.

**H**oc ipsum de Medicis, & Chirurgis item cautum sit, qui nisi trium mensium spatio apud Episcopum, aut eius Vicarium, ex illius pontificæ formulæ præscripta ratione fidem profiteantur, medendi artem ab eodè Episcopo interdiciantur, quoad eam professionem præstiterint.

At verò in posterum quisquam Medicus, vel Physicus, vel Chirurgus medicinam exercere ne aggrediatur, nisi præstita primùm vt supra fidei professione.

Idem circa Aduocatos, & Procuratores Sanctæ Inquisitionis. Cap. X I I.

**A**duocati præterea, & Procuratores, in causis sanctæ Inquisitionis suscipiendis, agendisve nullum ante aditum, locumve habeant, quam fidei professionem Episcopo præstiterint.

Curati, & alij fructus non percipiant, si fidei professionem non emiserint. X I I I.

**Q**ui Ecclesiam parochialem, aliudve beneficium, curam animarum habens, aut Canonicatum, aut dignitatem in Ecclesia Cathedrali, quouis modo obtinuit, nisi is tempore, & loco sanctione Tridentina præstituto, fidei professionem præstiterit; ne ei Episcopus beneficij Ecclesiastici fructus, quos ex eodem Tridentino decreto suos non fecit, aliquo pacto remittat, neq; ab eodem exigi patiatur; sed si quos exegerit, illum restituere cogat.

Sess. 24.  
cap. 12.  
de reform.  
ma.



## DE CONSTITUTIONIBVS.

Edicta, &amp; alia episcopalia promulganda. Cap. I.

**Q**UOD de Pontificiarum constitutionum promulgationis modo, & loca, vel in hoc, vel in Concilijs Provincialibus, ac nostris decretis prescriptum est; id non solum in Pontificijs constitutionibus, sed etiam in edictis Episcopalibus, alijve scriptis, quę promulgari contigerit, locum habeat, planeq; seruetur.

Qualiter item legenda, &amp; explicanda. Cap. I I.

**Q**UOD autem studiosius tradantur, & inculcentur, quęcunque illis uel Constitutionibus, uel edictis, scriptisve continetur; Episcopus, si ita expedire censuerit, illas ipsas tum constitutiones, tum edicta, uel scripta eiusmodi in Cathedrali Ecclesia saltem populo frequenti, de scripto primùm ita legi curet, ut ne verbum quidem, nedum pars ulla omitatur; in alijs deinde Ecclesijs, ac locis, ubi exulgandas censuerit, illę per capita summatim, vulgariq; sermone prout ille maluerit, explicentur.

Certi dies deligentur quibus prædicta promulgentur.

Cap. I I I.

**C**ERTOS, statosq; dies singulis mensibus, Calendarij instar notatos, quibus uel Pontificias sanctiones, uel Tridentina decreta, uel provinciales, dięcesanasq; constitutiones, aut pastorales literas, populo enulgari, de scriptoq; pronuntiari iussum est, Episcopus Parochis præstituat, uel ordine omnia pro temporum ratione, diligenter promulgata, sæpiusq; suis certis diebus repetita, accuratius in executionis usum inducantur, ac retineantur.

Concionatores, &amp; parochi populos ad observationem constitutionum instruant, &amp; procurent. Cap. I I I I.

**C**UM uel sanctiones pontificias, uel decreta conciliaria, uel literas, constitutionesq; Episcopales, uel aliquid eiusdem generis promulgari, aut populo enunciari, de scriptoq; legi iussum est, ut uberiores fructum ferant, ac studiosius, uel executionis usum illę introducantur; Episcopus, concionatores qui in Vrbe sunt; parochi uero dięcesani, si quos in sua parochialis Ecclesię finibus habent, eos diligenter hoc præmonere studeant, ut, quod fidelibus enunciandum est, idem illi inter concionandum cohortationibus adiuuent.

Hoc uero cohortandi munus, ipsi etiam parochi studiosè semper præsentent.

Affe-



Afferuetur in archiuo liber priuilegiorum, & diplomatum. Cap. V.

**L**iber fiat, in quo singula diplomata, siue Summorum Pontificum, siue Imperatorum, siue Regum, Principumve sint, quæ ad Ecclesiæ illius priuilegia, iura, aliave id generis quouis modo pertinent, rectè, atque ordine describantur.

Qui liber in armario, certo archiuij loco, diligenter aseruetur.

Duobus mensibus elapsis à die promulgationis constitutiones ligent. Cap. VI.

**V**T nemini eorum, quæ in hoc libro constitutionum à nobis decreta sunt, ignorantiam excusare liceat; edicimus, ut ea, quo primum die de illis editum promulgationis Ecclesiæ Cathedralis valuis propositum erit, ad duos menses omnes se, & his decretis, & si contrafecerint, pænis, quæ eis continentur teneri intelligant. Ab eo etiam affixionis die eorum decretorum temporis initium sumendum decernimus, quibus aliquid intra certum tempus præstari iubemus.

Certum tempus, quo decreta legantur ab Episcopo statuatur. Cap. VII.

**E**piscopus igitur præter alia, quæ hoc de genere aliàs decreta sunt, & Canonici, & Parochis, & reliquis clericis certum tempus statuatur, quo omnia, quæcunque ijs nostris decretis, de ijs constituta sunt, illis legantur; ita ut quæ decretorum partes ad canonicalem disciplinam pertinent Canonici; & quæ causa sua constitutiones læta sunt, Parochi, & Clerici itidem, & ij omnes, quæ ad vniuersum clerum spectant, illas lectione repetita animo comprehendentes præscriptas, munerum suorum partes, singuli studiosius exequantur. Si quis autem eorum aliquando, Episcopi iussu interrogatus, illas per negligentiam, aliamve culpam ignorarit, pro eius culpa, & personaratione illum Episcopus corripiat, aut aliàs prætere a cum eodem agat. In seminario quoque itidem seruetur; ut earum vel institutis, vel præceptis, clerici informantur.

Decreta per parochos laicis vulgariter aperiantur. Cap. VIII.

**Q**uæ uero decretorum partes ad laicos attinent, illas summatim vulgari sermone expressas, & certis anni temporibus distributas pro ut usu venerit à parochis denunciari iubeat, quod sæpius inculcata, seruentur diligentius.

Constitutiones ubi asseruandæ. Cap. IX.

**C**athedralis, & singulæ collegiatæ, & parochiales Ecclesiæ huius diocesis has nostras constitutiones certo aliquo loco collocatas perpetuò asseruent.



## DE CONSVETVDINE.

Vbi ius optandi extat qualiter fructus inter optantes diuidantur.



**V**IBVS in Ecclesijs optionis ius est, vbi dimidia pars fructuum præbendæ in illius vacatione, vel sacristiæ, vel fabricæ Ecclesiæ soluitur, ea pars pro ratione præbendæ, quæ primò vacauit, soluitur.

Idem ab omnibus præstetur, qui ordine deinceps singuli occasione illius vacationis, vel ad eam ipsam obtinendam optionis iure vsi sunt, vel ad alias consequendas, quæ occasione optionum successiue vacarunt, ita vt vnusquisque soluat pro rata tantum accessionis redditum, sibi illo ipso optionis iure facta. Hæc porro solutio, vbi quisq; primi anni fructus ex præbendâ, quam sibi iam optauit, perceperit, statim ab eo præstetur. Reliqua item, quæ de parte fructuum dimidia persoluenda olim decretis nostris constituta sunt, ad eorum præscriptum seruentur.

## DE OFFICIO ARCHIDIACONI.

Celebranti Episcopo Archidiaconus deseruiat.

Cap. 2.  
de off.  
Arch.



**A**RCHIDIACONVS etiam si sit sacerdos, vel præbendam etiam sacerdotalem, præter Archidiaconatum, obinet, missæ sacrum solenniter Episcopo celebrante, sui quod est muneris, Euangelium canat.

DE OFFICIO ARCHIPRESBYTERI  
vel Plebani.

Oleum, seu Chryisma sacrum, quibus in libro describendis consignandum, & qualiter ægris deferendum sit.



**V**I in Ecclesia Cathedrali id muneris datum est, vt oleum, aut Chryisma sacrum Plebanis, alijsue distribuatur, is in librum, eo nomine confectum, illarum Ecclesiarum nomina referat, quibus dederit. Pari ratione Prepositi, Plebanive libro notent eas Ecclesias parochiales, quibus singulis annis sacra olea distribuunt. Ij verò omnes ne illa alijs deferenda dent, nisi ijs, qui sacris ordinibus initiati sunt. Hoc ipsum etiam seruetur cum Parochus ad sacrum oleum ægris ministrandum accedit, vt ipse scilicet, non laicus homo, illud in itinere deferat.

DE



## DE OFFICIO ORGANISTÆ.

Adueniente Episcopo, vel aliàs quando à modulatione organi non est desistendum.

**O**RGANISTA Dominicis, Festisq; diebus, Episcopum ad diuina officia aduentantem, vbi primùm pro basilicæ foribus est, decora, grauiq; organi modulatione excipiat: neque sonare desistat, quousque ad altare genibus flexis orauerit, locoq; suo sederit.

Idem præstet, cum per actis de more officij inde discesserit.

Idem dum ille Missæ sacrificium, aut Vesperarum officium solemniter celebraturus, aliove Pontificali munere perfunditur, vestes sacras induit, nec quicquam canendum à choro est.

Hoc verò omne agat semper, cum in diuinis officijs, ad quæ Episcopus conuenit organa pulsanda sunt.

## DE ÆTATE ET QUALITATE ordinandorum, &amp; seminario Clericorum.

**C**URATE complexa est Tridentina Synodus omnem diligentiam rationem, quam in conferendis ordinibus adhibere debeant Episcopi, ut Ecclesia idoneos Sacerdotes, & alios ministros habeant.

Sess. 23.

Pro conferendis ordinibus nihil percipiatur. Cap. I.

**Q**UOD à Tridentina Synodo sancitum est, ne in conferendis ordinibus Episcopus, & ministri eius, quidquam etiam sponte, quauis de causa datum accipiant; id & ipse inuiolatè seruet, & à suis cubicularijs caterisq; familiaribus seruandum curet.

Sess. 21. cap. I.

Archidiaconus in quo initiati, & ordinati describantur habeat. Cap. II.

**A**Rchidiaconus noster Cathedralis Ecclesiæ habeat intra sex menses librum, in quo diligenter describat Clericorum omnium secularium nomina; & quo quisq; ordinis gradu sit, ac deinceps reliquorum, tam secularium, quam regularium, qui Clericatum, vel aliquem ex minoribus, maioribusve sacris ordinibus assumpserit, locum etiam, & tempus.

Item etiam eorum, qui ab alieno Episcopo erunt initiati, & promoti liberque is quotannis Episcopo consignabitur. Cap. III.

**Q**UICUNQUE Verò post hac à nobis, vel nostro permissu ab alio Episcopo etiam extra Diocesim in clericalem militiam adscriptus fuerit, vel



altiore gradum ascenderit, ad mensem ex eo die, quo ordinem susceperit, nomen suum in Clericorum librum referendum curet.

Eum autem librum idem Archidiaconus diligenter custodiat; in quem quidquid singulis annis retulerit, id Episcopo describendum dabit, ut eius libri exemplum, etiam in Episcopalibus adibus aseruetur.

Professio Religionis extet regularium, & iurent, aliter non promouentur. Cap. IIII.

Bulla edita prius Octo. 1568. In Bullar. inter constitutiones istius Summi Pontificis. num. 74. fol. 1034

**V**T quod Pius Quintus in explicatione decreti Tridentini, quod est sessio ne Vigesima prima, cap. 2. Constituit executionem habeat, Episcopus ne clericum vllum regularem, exceptis tamen clericis Societatis Iesu, neque seculari, qui regularium more in communi vitæ disciplina sit; beneficium quod Ecclesiasticum non habeat, ordinibus sacris adscribat, nisi à superiore fidem ille attulerit, se religionis, cui adscriptus est, professionem confecisse, iuratusque affirmet, scripto manu sua subsignato, coram Episcopo se id sponte fecisse, aut ratum habuisse, illud autem scriptum in Archiuo aseruandum Episcopus curet.

Ordinandi Ecclesiæ ascribuntur, & functionum fidem afferant. Cap. V.

**Q**Uicumque aliquem Ecclesiasticum ordinem suscipit, is ut Tridentino Concilio iussu est, certæ Ecclesiæ adscribatur, in qua functiones, quas ei Episcopus præscripserit, obeat; nec verò alius eidem ordo ante conferatur, quam ipsi Episcopo fidem, testimoniumque ille attulerit, se in Ecclesia, cui adscriptus est præstitisse præscriptas sibi functiones.

Si verò aliqua de causa eodem tempore, & sacrorum Canonum permissu, plures ordines minores clerico Episcopus contulerit; eidem præscribat arbitrato suo functiones, ad vnum quemque; minorem ordinem, quem ille susceperit, pertinentes.

Episcopus qualiter Seminarium visitare, & eidem prouidere debeat. Cap. VI.

**E**Piscopus ipse tertio quoque mense saltem, nisi iusta causa impeditus sit Seminarium visitet, in eoque visitationis munere, adhibitis etiam, si modo ei videbitur, alijs doctis, & pijs viris, tum de magistrorum diligentia, tum de progressibus, quos & in vitæ disciplina, & in literarum studijs Seminarij Clerus habuerit, accuratè inquiret.

Idem certas Seminarij Clericis constitutiones præscribat, quas frequenti eorum conuentu in singulos menses legi curet; quò sepius repetitæ, illorumque mentibus impressæ, seruentur diligentius.

Administratio beneficiorum minoris ab Episcopo committatur, & inuentarium fiat. Cap. VII.

**V**T prædiorum Ecclesiasticorum conseruationi consulatur, ac simul occupationibus, vsurpationibus, alijsque fraudibus occurratur, nè clericus

qui-



quispiam minori ætate, beneficium Ecclesiasticum obtinens, cuiquam etiam quocunque sanguinis, cognationisve vinculo, vel arctissimo sibi coniuncto, illius beneficii bonorum administrationem, procurationemve, nisi Episcopi consensu, literis exarato committat.

Idem præterea Clericus, minor natu, beneficii quod obtinuerit, prædiorum, bonorumve omnium inventarium ex formula præscripta, aliquo viro adhibito, conficiat, quæ Episcopus ei constituerit. Alioquin pœnam luat eiusdem Episcopi arbitrata irrogandam.

Requisitum ordinem non suscipiens, distributiones ne recipiat. Cap. VIII.

**A**liqua dignitate præditus, & Canonicus, aliisque quicumque, qui etiam ob causam, ut puta ob litem eiusdem beneficii sui Ecclesiastici, sibi illatam, contestatamve, ordinem sacrum, illi Ecclesiasticæ suæ dignitati, Canonicatuive, beneficiove annexum suscipere distulerit; ne distributionum quotidianarum, antequam illum suscipiat, particeps sit, cum debiti sui muneris, cuius causa illa debentur, partes obire, præstareve non possit.

Consultationes, & rationes seminarij, qualiter per Episcopum recipiendæ. Cap. IX.

**M**eminerit Episcopus, sibi Tridentini Concilij decreto omnem seminarij administrandi, beneq; gerendi onus impositum esse, quod ipse propterea sustinere, tueriq; debet etiam atque etiam diligenter ad præscriptam rationem ab Illustrissimo Domino meo in suis Concilijs provincialibus. Eorum igitur quos delegerit, consilium sequi cum non cogatur, ubi illorum sententiam de re, quæ in consultationem cadit, audierit, ipse tamen deliberet, statuat, & exequatur, quæcumq; pro sua pietate, & prudentia, quæ coram Deo potiora, atq; præstantiora esse existimaverit, ad instituti Seminarij, optimam tum conservationem, tum administrationem.

Quotannis apud se rationes administrationis supputari omnino curet: quæ in supputationem duos à Capitulo, totidemq; à Clero civitatis ex præscripto Tridentini Concilij delictos adhibeat.

Concil.  
Trident.  
sess. 23. c.  
18. de re  
form.

d. c. 18.  
sess. 23.

Episcopus progressui Seminarij incumbat. Cap. X.

**I**s vero ex Concilij Tridentini præscripto, quibus rebus potest, aut debet omnem operam, studium, aliamq; omnem rationem adhibeat, ut sublatis ijs rebus, quæ difficultatem pariunt, seminarij institutio longè ad optima quæque progrediatur.

Catechismus Romanus seminario accuratè, & integrè explicetur. Cap. XI.

**I**s in omni seminario huius diœcesis perpetuus usus sit, ut Catechismus Romanus pueris, atq; adeo adolescentibus prælegatur, & explicetur quam

diligen-



diligentiſſimè. Nullaq̄ eius pars prætermittatur, cuius doctrinis eorum animi non imbuantur, vt fieri poteſt omni maximo ſtudio.

Sacri ritus, & hiftoriæ vtiles Seminario legantur. Cap. XII.

**I**N Ciuitatis Seminario, præter cetera, quibus, & ad pietatis exercitationem, & ad literarum doctrinam adoleſcentum animi erudiuntur, ſtudia etiam ſacrorum rituum, hiftoriæq̄, omnis Eccleſiaſtica certis ſtatis diebus inſtituantur, quæ clericalis ordinis hominibus maximè accommodatæ ſunt ad optimam religioſæ diſciplinæ rationem.

Parochialibus præficiendi Eccleſijs, quàm apti ſint quomodo perquirendi. Cap. XIII.

**D**E ijs Verò Sacerdotibus, qui Eccleſiarum parochialium curationē ſuſcepturi ſunt, quærat̄ur præterea experiendoq̄, cognoscatur in primis. An apti ad ſenſus percipiendos, non ſolùm, qui ad grammaticæ intelligentiam ſumuntur, verùm etiam interiores illos, ſanctioresq̄, tam ad Chriſti, Eccleſiæq̄, miſteria, quàm ad ſpiritalis vitæ modum pertinentes.

An ſermones contexere, habere ve ſciant.

An ſi quos habuerint, vnde ſumpſerint, aut quam illis contexendis, conſcribendisve rationem adhibuerint; & verò ſi quos apud ſe conſcriptos tunc habeant, eos oſtendant, atq; tradant.

An in eo genere aliquid ex tempore poſſint: tunc extemporaneo, breuiq̄, ſermone periculum fiat, quantum concionando valeant. Atque ſi tractationis quidem verbi Dei vſu peritiorem parochum Eccleſiæ parochialis, quæ committenda eſt, ratio depoſcit; examen aliqua ex parte, quæ potior examinerum iudicio videbitur, ineatur ad interrogationum normam, concionatorum examini conſtitutam.

Quærat̄ur præterea, an aliàs vnquã animarũ curam geſerint: quod ſi affirmant, tum interrogentur etiam, & vbi geſerint; & cur inde diſceſſerint.

An intelligant, quanti illud ſit, animarum curam ſuſcipere, ruruſq̄ gere-re, quæq̄ partes, ac virtutes illæ ſint, quibus bonum, vigilantem animarum curatorem præditum eſſe oporteat.

An item norint impedimenta omnia, quorum cauſa interdictum eſt, nè quis Sacramenta miniſtret, & nè quis ſuſcipiat.

An Sacramentorum, præſertim verò, quorum ille miniſter eſt, vim & naturam intelligant, atq; hæc ſigillatim in primis interrogentur.

Quæ vnuiſcuſque Sacramentorum materia, quæ forma item, & quis miniſter.

Quæ eorum efficiens cauſa, & principalis.

Quæ cauſa efficiens instrumentalis.

Quæ cauſa finalis.

Quæ eorum differentia.

Qui effectus, qui ve fructus.

Nã gra-  
ue eſt in  
expertos  
diuinis  
obſeq̄js  
applica-  
re. cap.  
Monaste-  
rijs. 19.  
q. 3. Glo.  
in cap.  
officij  
tui, de  
lec. in  
ver. incõ-  
tinenti.

Qui



Qui eorum ritus, quæve cerimoniam.

An maximè omnium peritiam teneant audiendæ sacræ Confessionis.

Quos huius generis libros, atq; adeo summas habeant.

Tum periculum fiat quàm valde casuum conscientia vsu periti sint, quâq; tum in illis, tum in alijs id generis peritè versati, præsertimq; in Ecclesiasticis constitutionibus, quæ ad rectum vitæ vsum, populiq; Christiani mores, & virtutem pertinent.

An nouerint casus, Sanctissimo Papæ, & Episcopo, item à iure, & ab homine reseruatos.

Atq; adeo diligentius prout opus erit, de singulis interrogentur, quæ præscribuntur in forma examinandi confessarios sacerdotes.

Vltra prædicta si Episcopo videbitur, videant præterea examinatores, an aliquam sacrarum Canonum notitiam habeant, & præcipuè quò ad Tridentinum, & Prouincialia Concilia, Synodosq; diœcesanas attinet, an illi hæc norint, quæ sequuntur.

An scilicet doctrinam de præcipuis Christianæ religionis articulis, quos œcumenica illa synodus Tridentina contra hereticos definiuit.

An item, quæ de residentia præscripsit.

An quæ etiam de Parochis, parochialibusq; Ecclesijs, & de diuinorum officiorum cultu, cæterisq; eiusdem generis statuit.

An quæ præterea de Clericorum honestate sanciuuit.

An cætera denique, quæ vel ad cleri, vel ad populi disciplinam, vel ad aliarum rerum reformationem constituit, quæ parochi scire, beneq; nosse intersit.

Sequuntur aliæ perquisitiones. Cap. XIII.

**E**X Prouincialibus Concilijs, & præsentibus Constitutionibus sigillatim querant.

Quæ de clericalis vitæ honestate, & de parochorum officijs cõstituta sunt.

Quæ item de Sacramentorum recta administratione, quæ de Missæ sacrificio, quæ præterea de diuinis officijs.

Quæ etiam de Sacramentalibus, & quæ de festorum dierum veneratione, quæ de Ecclesiarum cultu, quæ de scholis doctrinæ Christianæ, quæ de populi christiana institutione, morumq; disciplina, deq; alijs ad parochialis vitæ munus potissimùm pertinentibus, sancita sunt; omnibus supradictis Episcopus, vel Vicarius addant, minuantve prout, eorum prudentiæ magis opportunum visum fuerit.

Non curati sed aliter beneficiati perquirantur, vt infra. Cap. XV.

**I**N alijs beneficijs non curatis hæc inuestigentur.

An canonicarum horarum officium, ex Breuiarij instituto, rubricisq; rectè recitare sciat.

An doctrina, disciplinaq; omni instructus, quam ordo deposcit, quo initiari de-



tiari debet, pro beneficij, officij, dignitatisve ratione, cuius causa examen instituitur.

*An peritiam item teneat functionum, quas illius beneficij, dignitatis, munerisve ratio postulat.*

*An teneat, quæ scitu necessaria sunt ad functiones illas, vel ordinis, vel beneficij rectè, riteq; prestandas, etiam quæ ad rectè canendi modum, rationemve pertineant.*

*Atq; hæc quidem sunt, quæ ad examinis instructionem pertinent, eorum, qui aut Ordinis Sacramento initiandi sunt, aut Ecclesijs parochialibus præficiendi, quibusve beneficia conferenda.*

Ad beneficium promouendi qualiter examinandi. Cap. XVI.

**C**UM aliquis examinatur ad aliquod beneficium Ecclesiasticum, cui providendum sit, de eo experimentum fiat, examine non solum in literarum scientia, sed etiam in cantus peritia, ad illius beneficij functiones ritè, rectèq; obeundas, tum præterea in vsu, ac notitia, quam recitandis diuini officij horarijs precibus habeat.

Vacante præbenda Theologali, vel Pœnitentiali quibus, & qualiter conferenda sit. Cap. XVI.

Concil.  
Trid. sess.  
5. c. 1. de  
reform.

**V**BI primùm præbenda, vel Theologalis, vel Pœnitentialis vacauerit, etiam si illius conferendæ ius ad alium, quàm ad Episcopum, præterquam ad sedem Apostolicam pertineat, edictum de more proponatur, quo ad concursum euocentur, quicumque sint, qui illius muneris causa examen subire velint, aliosve nominare, qui subeant; confecto autem constituti temporis spatio, vniuscuiusq; eorum, qui illo nomine conuenerint, periculum, experimentumve in literis, ac doctrinis omni vel diligentissima percunctationum, questionumve ratione, fiat; Episcopus, adhibitis sibi pro arbitrio suo alijs peritis probisq; uiris, tum etiam de illorum vita, moribus, ætate, gradu, ordine, ceterisq; conditionibus, ad tale munus necessarijs, accuratè perquirat. Tum demum Episcopus ipse solus rebus ijs omnibus accuratè perpensis, maturè in domino deliberet, & liberè deligat quem pro conscientia suæ religionis digniorem, aptioremq; existimat, cui tale munus, tantiq; ponderis rectè committatur. Qua in deliberatione idem videat, vs quod præsertim ad pœnitentiarium attinet, cum peritiam necessariam spectarit, tum maxime vitæ innocentiam, morum grauitatem, spiritualium exercitationem, studium, & usum diuturniorem in audiendis confessionibus, exercitationem, prudentiam, ceterasq; religiosæ pietatis virtutes perpendat. Si autem, quæ potissimùm elegerit, nec verò alij cuiquam conferatur ab eo, cui ius competit.

Theologalem præbendam obtinens ad quid teneatur. Cap. XVIII.

**Q**VICVNDQVE præbendam Theologalem, vel Tridentino decreto, vel alia auctoritate, rationeve institutam in Cathedrali, collegia-

tisve Ec-



tisve Ecclesijs obtinet, is, & quæ sacrarum lectionum genera, & quibus diebus Episcopus præscripserit, ut interpretationis suæ munere fungatur, accuratè ad illius præscriptum præset; ita ut etiam si expedire censuerit, & in seminario, & in alijs clericalibus, Sacerdotalibusve collegijs doceat. In Basilica verò Cathedrali saltem die Festo semper sacram scripturam publicè interpretetur, & exponat, nisi aliquando aliud iusserit Episcopus.

Idem ab Episcopo, aut ab alio consultus, Theologia questionibus, alijsve eius generis gratis respondeat: ceteraq; deniq; omnia præset, quæ pro suscepti muneris ratione ab eo præstari debere idem Episcopus censuerit.

Beneficiorum per cessionem vacantium collatio, & concursus quibus negatur. Cap. XIX.

**B**eneficia quacunq; sint, etiam Parochialia, quæ per cessionem vacant, Episcopus ne suo, aut cedentis consanguineo, nec verò item suo familiari conferat, provideatve, ut Pij Quinti Pontificis Apostolica sanctione, in huius libri fine descripta, vetitum est. Nec verò alicui familiari propinquo-ve suo, ad illius beneficii concursum aditum patefieri permittat. Quod si aliter unquam factum erit; cum omnis collatio, & provisio rescissa, irrita, nullaq; sit, tum præterea illius Pontificiæ sanctionis pœna, eo nomine constituta locum habeant.

## DE OFFICIO EXAMINATORVM.

Examinatoribus infrascriptæ designantur instructiones. Cap. I.

**I**n Ecclesia administratione, ut necessarium ita multiplex est examinis de literarum peritia, & disciplina officium: modò namque ab episcopo, cum ad eorum, qui ordinis Sacramento initiantur, tum etiam ad concionatorum, confessoriorumq; approbationem adhibetur, tum præterea ad indagandam, perspicendamq; cleri in literarum studijs, rationem, progressionemve; ad aliaq; item multa Episcopo idem adiumento, atque Usui est: modò autem non solum de illis, qui Ecclesijs parochialibus, alijsq; curam animarum habentibus præficiuntur, illud instituitur, & conficitur, sed de ijs etiam, quibus beneficia Ecclesiastica cuiuscumque generis, vel literarum Apostolicarum, quæ formæ, Dignum, conscribi solent, auctoritate, vel alio iure conferuntur, quive ad ea præsentationis, nominationis, electionisve nomine instituuntur. Quamobrem, ut omnis quacunq; causa suscipitur, hæc examinandi ratio per examinatores, ut fieri potest, quàm rectissimè conficiatur; præter aliqua, quæ præsertim Concilio Provinciali quarto enucleatius decreta sunt, has etiam instructiones conficiendas censuimus, quæ partim ad uniuersum hunc examinandi modum pertinent, partim verò certorum examinum propriæ sunt.

Atque



Atque ijs quidem omnibus pro sua quisque pietate, Episcopus, & prudentia alias etiam instructiones adiungat, aut de ijs aliquid remittat licet, prout e sua diœcesis rationibus, atque usu esse viderit. Quæ instructiones, vt in morem, & usum inducantur, cura sit eiusdem Episcopi, & Vicarij, qui examini præest.

Examinatores sui iuramenti memores sint. Cap. II.

Concil.  
Trid.  
sess. 24.  
c. 18. de  
re for.

**P**orro in primis examinatores, in Synodo Diœcesana constituti, cum eorum, qui Ecclesijs parochialibus præficiendi sunt, examen ineunt, iuris iurandi, quo publicè in synodo, quo primum tempore delecti sunt, sese obstrinxerint memores, videant, vt omni humana affectione deposita, munus à se susceptum rectè curent, atq; administrent, nè quod sanctè, religiosèq; sponderint, violent ac propterea periuri fiant.

Examinatores occasione examinis nihil ante, vel post recipiant, nec eis detur. Cap. III.

Concil.  
Trid. d.  
c. 18. sess.  
24. de re  
form.

**E**xaminis causa, occasione ve, nihil prorsus, etiam minimum, neque ante, neq; post accipiant; alioqui sciant, qui dant, se simoniae crimen ex sanctione Tridentina subisse, nec verò præterea se, neq; adeo illos, qui dant, absolui licere, nisi dimissis beneficijs Ecclesiasticis, quacumq; obtinent; ac inhabiles item factos se esse quibus in posterum ea, vel alia conferantur.

Item qui nec esculenta, nec poculenta. Cap. IIII.

**N**EC verò item qui examinatores liberè, pro arbitratu Episcopi ad alios quocumq; nomine, causave examinandos asciscuntur, examinis occasione vnquam quicquam, ne exculenta quidem, poculentavè capiant. Qui contrafecerit, cum indignus deinceps censeatur, qui id muneris gerat, tum alia pœna arbitrio Episcopi afficiatur.

Examinatores in approbatione, vel reprobatione, qualiter se gerere debeant. Cap. V.

Vid. cap.  
quatuor.  
II.  
q. 3. vbi  
D. Greg.  
ait, quod  
quatuor  
inodis  
humanū  
iudiciū  
petuerti  
tur quod  
que fit  
vid. cap.  
seq. ibid.

**O**MNES verò examinatores, quicumque sint, nouerint, sibi munus vsque adeo graue committi, vt si negligenter, aut malè se vllomodo gesserint, Deo in primis culpa, in eo munere admissa, exactam rationem reddituri sint.

Quare non spe, non metu, non premio, non personarum ratione, non aliquo affectu ducti, muneris sibi commissi curam gerant.

Proposito sibi in primis timore, ne quemquam, quem indignum norint probent: rursus quem experimento, periculose facto, idoneum, dignumq; comperiunt, ne reiiciant. Itaq; grauiter, mature, prudenter, rectèq; tum de probando, tum de reiiciendo deliberent.



Examinatores non nisi prius vocati, & præuia oratione munus suum exequantur: caueantq; ne quemquam examinandum socijs comendent. Cap. VI.

**C**VM in locum conuenerint, ubi moris est, clericorum experimentum fieri, priusquam aggrediantur, à statâ prece, orationeq; congregationum vsui præscripta, quam de libro pronunciet, qui examini præsidet, initium faciant; hoc pie, intimeq; precantes, vt Dei ope in primis illud rectè, prudenter, diuinèq; voluntati congruenter conficiant.

Ne quempiam, de quo examen, periculumve fiat, examinatore alij collegæ vlla ratione commendet.

Ne ad alicuius examen accedat, nec verò suffragij vis habeat, nisi Episcopi, Vicarijve iussu ad illud euocatus.

Quem docuerint nè examinent, & de ijs quibus examinati fuerunt qualiter quærat. Cap. VII.

**S**I quis quempiam priuatim docuerit, qui examen subiturus est, cum id subibit, ne præsens quidem ille adsit, nè dum ad examen adhibeatur; sed alius in eius locum, Episcopi, Vicarijve iussu tunc vocetur.

Cautio diligens sit, nè alterius nomine, quis examen experiatur, experimentumve subeat, quod aliquando factum esse compertum est.

Quærat item diligenter de ijs, qui examen subeundum accesserint, an alijs institutis, de more examinandi quæstionibus, experimentum, periculumve sui fecerint; anq; si quid extet; quod de illis compertum, vel deliberatum sit.

De præsentia ordinarij, & numero examinatorum necessario. Cap. VIII.

**N**E examinis initium fiat, nisi præsentibus adsint, tum Episcopus, vel Vicarius, tum examinatores ex præscripto Concilij Tridentini, ad minimum tres, cum de beneficio curato quauis ratione conferendo examen instituitur. Id quod locum etiam habeat deinceps, cum vel de aliquo maioribus ordinibus initiando, vel de concionatore, confessariove approbando examen conficitur.

Cap. 18.  
sec. 24. de  
reform.

Examinandus qualiter inspiciendus. Cap. IX.

**C**VM quis in examen venerit, eius vultus, & habitus corporis, & vestitus, & incessus, & gestus, & sermo inspiciatur diligenter.

Si quis, vel Clericali vestitu deformi ab ordinis Ecclesiastici decore, aut disciplina alieno indutus, vel sine congrua pro sui status, & ordinis ratione tonsura accesserit, nè ad vllam examinis, experimentiue rationem ei aditus fiat, nisi decenti veste amictus, & tonsura præscripta ad illud redierit.

Quæ



Quæ ante examen præinvestiganda sunt. Cap. X.

**N**E de vlllo quoque initiando, si modò non aliter Episcopus aliquando censuerit, examen, experimentum ve antea fiat, quàm etatis, natalium, aut dispensationis concessæ, beneficij Ecclesiastici, vel pensionis, patrimonij ve testificationes scriptas, easdemq; à Vicario Episcopali recognitas, illiusq; subscriptiane signatas, ac probatas attulerit, exhibuerit ve: nisi aliquando Episcopus eas post examen exhiberi recognoscere iusserit.

Neque item, nisi alias præscriptas, editto Episcopali testificationes dederit.

De eodem, & quæ asseruanda erunt, & de quibus testatum fiet. Cap. XI.

**N**EC verò præterea, nisi de eo à Cancellario Episcopali examinatores audierint, cognouerint ve, quæcumq; Episcopi, iussu inquisitiones de eo factæ, atq; ex officio præscriptæ, aliorum literis significatæ, vel denuntiata, vel delata sunt. Testificationes verò omnes, tum ab eo, qui initiandus est, tum ab alio quouis examinis occasione exhibitæ, Cancellario Episcopali restituantur, tradantur ve, cuius sit illas ipsas in codicem certum, eo nomine confectum, summariè referre, eundemq; in Archivio Episcopali asseruare. Verùm testificationes etatis, natalium, ac si de eo, qui maioribus ordinibus initiandus est agitur, patrimonij, beneficij ve Ecclesiastici, idem Cancellarius asseruet; ac literis publicis, quas de eo, qui ordinem susceperit conficiet, de illis pro ratione sibi præscripta testatum faciat.

Quæ inspicient pro examinando ad curam. Cap. XII.

**C**UM examen initur illius, cui in curam certa Ecclesia Parochialis tradenda est, videant ante examinatores, qui, qualis, & quàm numerosus populus sit, cuius parochialem curationem is suscipiet. Qua sanè re diligenter explorata in examine, quod inibunt, sibi proponant accuratè perspicere, an ad eam curam suscipiendam, gerendam ve idoneus omnino ille sit.

Quo ordine fient interrogationes. Cap. XIII.

**I**S omnibus ita præscriptis, examinatores ordine ad interrogationes, questiones ve veniant. Atque in examine quidem ea ratio ineatur, vt interrogationes, questiones ve is examinatus proponat, quem pro vicissitudinis ratione, & pro doctrinæ, disciplinæ ve genere, modò hunc, modò illum, in eo ipso examine Episcopus, Vicarius ve, examinis præses interrogari iusserit, vt nè vnus alterum vario, multipliciq; interrogationum modo certatim interpellet.

Prout quisq; diuisim interroget. Cap. XIII.

**I**nterrogationum porrò, & questionum rationem examinatores ita teneant, vt illis inter se sic distributis examinis instituti rationibus, prout oportet



oportet, cum latè satisfactum sit; atq; eorum vnusquisq; quo de genere querere instituerit, ita de eo quærat, interrogetve, vt quemadmodum par est, illius generis quæstiones, interrogationesve satis explicite sint.

Qua grauitate, & rectitudine sit examinandum. Cap. XV.

**S**ilentio dum examen habetur, vt antur; nec inter se colloquia confabulationesve habeant, nec mutuas itidem quæstiones, dubiorumq; explicaciones sibi proponant; sed ad illius, de cuius doctrina interrogationibus queritur, responsiones attenti, animum attentionis studio eidem addant, ad rectè explicandas propositas sibi quæstiones. Nec verò examinatore loco suo interrogantem alius interturbet, sed vnusquisq; expectet, dum sibi ordine, pro quæstionis genere, rationeve interrogare contigerit.

Qua modestia circa examinandos se habebunt. Cap. XVI.

**I**n quæstionibus, interrogationibusve proponendis, non verbis, non aspectu, non vlllo modo seueros, vehementesq; se præbeant, vt qui examen subeunt seueritate deterriti, animum ne despondeant, memoriaq; languescant, ac vacillent non sine aliquo dedecore: at benigni, gratiq; animi significatione illos, vel differentes, vel respondentes audiant: nec verò quibusdam interrogatiunculis, aliave ulla ratione interpellent.

Si quid autem, vel in differendo, vel in legendo, vel in pronunciando, vel in respondendo eos offendere animaduernerint; ne tunc illos doceant, obiurgentve, ac ne moneant quidem, nisi quid ad examen rectè instituendum perficiendumve pertineat, sed examine peracto eos breui admoneant, doceantve, si quid necessariò illos tunc admonendos, docendosve duxerint.

Qui habitus examinandi spectentur. Cap. XVII.

**I**n omnibus porro, & singulis examinis interrogationibus spectetur, non solum vniuscuiusq; eorum, qui examinantur, scientia; sed etiam vsus, iudicium, ingenij uis, ac solertia.

Præludia aliquot circa examinandos habenda. Cap. XVIII.

**E**xaminis autem omnium ea ratio instituta sit. Vt primò de toto vitæ statu, genere, patria, domiciliove eius quærat, qui examen subit.

An impedimentum aliquod habeat, quo irretitus, uel initiari, uel beneficium Ecclesiasticum, cuius nomine experimentum fit, uel prædicandi munus, uel confessiones audiendi suscipere, ac exercere non possit. Quo impedimento, si quis etiam occultè illigatus tenetur; id planè Episcopo saltem patefaciat, nè quisquam illegitimè, uel initiatur, uel beneficium consequatur, uel aliud munus suscipiat, geratve.

An in orationis sanctæ studio, vsuq; versatus.

Quibus meditationibus instructus, Deum tacitus oret.

Qui orationis modus.



*Qui illius fructus, quæve utilitates.*

*Quot quibusve partibus illa constet.*

*Quæ regula preparationis ad orationem, & cetera multa eiusdem generis, prout prudens, piusq; examinator pro ratione, aut personæ; de qua quaritur, aut causæ, ob quam fit examen, opus esse viderit.*

Circa quorum scientia subinquirendi erunt, & in examine tempus non coneratur. Cap. XIX.

**H**IS perquisitis examinatores ad scientiæ, eruditionisve experimentum descendant. Vt autem ij certam sibi formulam proponant, qua illorum, qui examinantur, & literarum doctrinam, & vitæ clericalis disciplinam, & rei Ecclesiasticæ peritiâ experiantur; in omni experimenti, examinisve ratione, sacris Biblijs, Catechismo Romano in primis, Concilio Tridentino, sacrorum Canonum decretis, & alijs Pontificijs constitutionibus synodisq; Diæcesanis vtantur, vnde suas interrogationes hauriant, quibus, prout est illorum ingenij captus, explorent eorundem, & scientiam, & Ecclesiasticarum rerum notitiâ, atque vsum.

Cautio autem sit, vt si dum quis interrogatur, ita rudem, atq; ignarum se ostendat, qui rerum faciliû, minimarumq; nullam sciētiam, vsumq; teneat, ne aliarum rerum difficilium interrogationibus tempus coneratur.

Rursus cum quempiam, quanta doctrinâ, & vsum literatæ peritus sit, exploratum erit, non est, cur pluribus interrogationibus secum diutius agatur.

Distinctum examen, pro distinctis muneribus habendum. Cap. XX.

**N**UNC igitur vniuersè infra præscribemus, quæ ad rationem pertinent vniuscuiusq; examinis eorum, qui vel ordinis Sacramento initiantur, vel parochialium Ecclesiarum curam, uel alterius beneficii munus suscipiunt, vel sacræ confessionis audiendæ officium sumunt, vel ad Dei prædicationem mittuntur. At verò speciatim longè plura, atque adeo pauciora, prudentum examinatorum, ac præsertim Episcopi, eiusve, qui examini præest, iudicio relinquuntur, & pro eorum captu, qui ad examen accedunt, & pro ordine, quo quis initianus est, & pro ratione locorum, qui mittuntur, & pro genere doctrinæ, quam profitentur.

Non satis edocti qualiter admonendi. Cap. XXI.

**Q**UI verò earum rerum, quæ certis interrogationibus demonstratæ, in hac instructione continentur, se minus eruditos esse ostenderint, eos Episcopus admoneat, vt diligenter in posterum in doctrinis incumbant, atque harum ipsarum rerum in primis peritiâ, & scientiâ percipere studeant; ita, vt cum visitationis munus, aliavve eorum studijs, & progressus in literis recognitio adhibebitur rectè, periteq; omni eo doctrinæ genere instructi comperiantur.

In qui-



In quibus primò, & luccelluè in examine progrediendum est.

Cap. XXI I.

**A**C primò quidem eum, de quo examen faciendum est, legere examinatores iubeant, quoad experiùdo videant, an ille rectè, explicitèq; legat. Post, si ordinis, aut beneficij, aut recognoscendæ clericici cuiusquam in literarum studio, progressionis causa, experimentum sit, grammaticorum more, verborum constructionem proponant: quo in genere, si quid is errat, labitur ve, ita, vt nè pro grammaticæ quidem ratione, illorum vsum, peritiã ve teneat, nè propterea eum interturbent, interpellent ve, aut impediãt, quominus ad propositum grammaticæ instructionis modum redire possit. Tum verborum, quæ legerit, construxerit ve sensum ab eo quærant: quem, vt rectè eliciat, atque exprimat, quod ei legendum proponunt, eiusmodi sit, quo tota sententia, sensusq; perfectus concludatur, nihilq; in se habeat, quod sub historia intelligentiam cadat, aut ex antecedenti, consequenti ve alio capite explicatio existat, deinde ad alia grauiora eius doctrinæ disciplinæ ve experimenta examinatores progrediantur.

Si non pro beneficio, sed de alicuius progressu fiat inquisitio qualiter sit examinandus. Cap. XXIII.

**C**um non certæ curæ, alterius ve beneficij, vel officij muneris ve, sed doctrinæ tantum, aut in literarum studijs progressionis recognoscendæ causa examen alicuius instituitur, diligenti etiam illa, præcipuaq; disquisitione, & interrogationibus, supra variè descriptis, pro vniuscuiusq; conditione indagetur illius doctrina, & in ministerijs Ecclesiasticis peritiã, atq; vsum.

Qualiter distinctæ classes ordinandæ sint, vt vnusquisq; in suo munere ritè examinetur. Cap. XXIII.

**H**orum verò classes quatuor saltem, vel etiã plures constitui poterunt, quibus pro peritiã ratione experimento illorum factò, adscribantur.

Primæ classi adscribantur, qui & perfectè concionandi peritiã, & conscientia casuum explicationibus se tales ostendant, qui alijs multis prodesse, atq; præesse possint, proindeq; idonei sint, non modò ad parochi, sed etiam ad Præpositi, Vicarij Foranei, vel Visitatoris munus, vel ad pœnitentiariæ etiã, aut doctoralis, aut Theologalis præbendæ obeundæ officium, dignitatem ve, etiam in Ecclesia Cathedrali assequendam, atq; ad alia id generis.

Secundæ classi erunt adscribendi, qui si minus, vt illi concionari perfectè, ac mediocriter, tum etiam de suggesto possint, quiq; in casuum conscientia summis studiosè versati sint; & verò Catechismi etiam Romani doctrinam diligenter teneant.

Tertierunt classis, qui intelligentiæ tantum assequuntur, vt si minus accurata, doctaq; concione, at sermonem de altari saltem habere, ac Euangeliũ, prout vsu venerit, enarrare, & explicare possunt, & administrationis Sacra-



mentorū, & casuum conscientia vsu ita periti sint, vt qui frequentius incidere solent, eos aliquo studio adhibito enodare, atq; explicare apte queant.

Quarta classis, qui si non magno literarum studio, aliquo tamen vsu apti sunt ad aliquam Euangelij breuem explicationem, notitiam quandam habent rerum ad docendum populum, quæ saluti necessaria sunt, & ad Sacramentorum administrationem, casuumq; conscientia explicationem pertinent: ita vt ijs ob Sacerdotum paucitatem, necessariamq; causam, aliquando curatio aliqua spiritualis pro loci ratione præsertim ad tempus committi possit.

In inferiori classe reliqui adscribantur, quorum nullaratio omnino haberi debeat, in curatione animarum committenda, Sacramentiq; ministrandi facultate, neque in sermonibus ad populum habendis.

Iudices, & Examinatores Synodales quamdiu munus suum exequantur. Cap. XXV.

**I**udices, & examinatores in Synodo Diœcesana constituti, etiam si quando longius, quam vnus anni spatium synodi actio deferatur, suum munus exequantur.

## DE OFFICIO VICARII ET Præfectorum.

Quando, & qualiter Vicarij, & præfecti regiones sibi creditas visitare debeant. Cap. I.



**Q**uo diligentius, atque adeo accuratius, & in vrbe ij, quos vniciq; regioni Episcopus præfecerit, & in diœcesi Vicarij Foranei muneris, atque officij sibi commissi partes exequantur: quo item crebrius, ac vigilantius diœcesis status, cui assidua pastoralis speculatione prospiciendum est, exploratus ipsi Episcopo sit, atq; cognitus, cum ex omni alia ratione, tum ex eo, quod illi certo anni tempore, ad ipsum studiosè referant, non solum quæ de synodo diœcesana decreto generatim, vniuersèq; præscripta sunt; verum etiam quæcunque sigillatim, ac præcipue, pro temporum ratione idem Episcopus illis præscribenda censuerit, in hoc genere ita consultum sit, vt illi in ciuitate, in diœcesisq; Vicarij Foranei, in sua quicq; regione commissa, præter illam in suo munere gerendo curam, suasq; frequentiores per annum visitationis, præterquam Episcopi, & Episcopaliū visitorum in visitando diligentiam, ipsi etiam singulari, accurata, diligentiq; ratione visitationem conceditæ sibi regionis cumulatius, exactiusq; obeant, à die Sancti Martini, vsque ad diem festum Sanctæ Lucie. Si quis verò, vel pro regionis, quæ sibi commissæ est, magnitudine, vel alia causa ad statæ visi-

tationis



rationis munus longiori tempore opus habeat, ei integrum, ac liberum sit, aliquot ante præscriptum tempus diebus visitationis suæ initium facere.

Quando conuentum habeant Vicarij coram Episcopo demandata relaturi. Cap. II.

**V**ICARIJ autem Foranei singuli, pro ratione, tum eo decreto generatim præscripta, tum ab Episcopo sigillatim præscribenda, de regione, quæ unicuique eorum Vicariæ curæ, demandata est, ad eundem relaturi, in ciuitatem quotannis hebdomadæ ante Dominicam in Septuagesima penultima, duodecimo scilicet ante eius Dominicæ celebritatem die summo mane, in Episcopales aedes ad illum conueniant. Id verò, nisi aliquando ob temporis, quod inter Epiphaniam, & Septuagesimam incurrit, breuitatem, aut aliam ob causam, eum Vicariorum conuentum, tum alio commodiori tempore habendum esse per literas Episcopales significatum sit.

Quæ congregatio per Vicarios, ante eorum conuentum fienda, & suorum parochorum cura prius adhibenda sit. Cap. III.

**Q**UO diligentius verò relationem singuli Vicarij præstent, id subsidij sibi comparent, vt antequam stati conuentos dies veniat, congregationem parochorum suæ quique regionis habeant, à quibus quacunque, vel vniuersè, vel nominatim præscripta sunt, diligenter animaduertant, & colligant. Parochorum propterea curæ sit, certo ante conuentualem diem tempore videre, atque exquirere suarum parochiarum, parochialiumve hominum statum, vitam, & mores: Si quæ verò animaduernerint, quibus salutariter consuli, aut prouideri oporteat, ea sigillatim, & ordine descripta, suo quique Vicario tradant, vt ad constitutum tempus Episcopo referant.

Prædicta iterum congregatio, post reditum habenda est. Cap. IIII.

**V**BI à conuentu, qui anniuersarius ipsis Vicarijs stato die indictus est, ad suam quique Ecclesiam redierunt, statim quique suæ regionis parochorum congregationem iterum habeant de ijs, quæ ab ipsis, vel synodi proximè celebrandæ, vel alterius rei causa agi, præstariue mouerit, aut iusserit Episcopus.

In vrbe præfecti, quæ Episcopo referre debeant. Cap. V.

**C**onstituti verò vel constituendi in Vrbe ab Episcopo præfecti, quacunque ad præscriptam illam rationem eidem referenda sunt, ea tum diligenti stata visitationis cura, tum parochorum, quorum paulò ante relationis diem congregationem habebunt, adiumento vsi post referent, quàm Vicariorum Foraneorum dimissa erit constituta congregatio.



Altera congregatio suorum Parochorum, per Vicarios, & præfectos coram se quando habenda, & quid ibidem inquirendum sit. Cap. VI.

**F**eria præterea secunda post octavam Resurrectionis Domini, si dies festus non est, sin minus, proximo primo feriali die, quo solenniter officium non fit, idem tum præfecti in vrbe, tum Vicarij Foranei congregationem iterum habeant, in qua, & à parochis etiam colligant, & inter se item videant, si qua reliqua sunt, quæ post illum conuentum, qui ante Dominicam in Septuagesima habitus est, inciderint, quæ item ad Episcopum ante synodi diem referri oporteat: qualia sunt de ijs, qui proximo Pascha confessi non communicarint, & de alijs, quæ ad eandem deferenda sint.

Prædicta, etiam si Synodus non fieret ne omittantur. Cap. VII.

**S**IN autem aliqua de causa ad constitutam eam diem synodus non habetur; ne propterea per illos omittatur, quin & præscriptam visitationem diligenter obeant, & ante Dominicam Septuagesimæ ad Episcopum conueniant, & singula alia præsentent, ut supra, vel illis oibus vniuersè, vel nominatim, præcipue quæ Vicarijs Foraneis constitutum est; & tertia etiam post Pascha Resurrectionis Domini hebdomada ad præscriptum eidem Episcopo, cum præfecti descripto referant, ac tradant; tum ij Vicarij singula mittant.

Vicarij Episcopales alterius diocesis sint. Cap. VIII.

Vicarij  
Episco-  
pales.

**I**llud maxime expedit, cum omni quæ ratione consentiens admodum est, vt Vicarij Episcopales, quoad eius fieri potest, alienæ potius diocesis, quam illius sint, vbi commissum Vicariæ curæ, officij munus obire, atque exequi debent. Sæpe enim fit, vt cum iniustitiæ quasi oculis tenebras cognatorum, affiniumve illa innata vis offundat; tum gratia, motuque eorum, quibuscum vixerunt, viuendumque deinceps est, etiam boni, constantesque viri ab æquitatis norma, rectaque via facilius deflectant.

Quibus in Ecclesia residendi onus incumbit, qualiter Episcopus Vicarios non constituat. Cap. IX.

**S**I præterea id Vicarij officium eis committitur, qui in aliqua Ecclesia personalis residentia munus sustinet, id incommotum, quod per multi interest, manifestè existit, vt non facile, neque cumulati, vti par est, vtriusque muneris partes expleat, atque exequatur. Quare Episcopus, cum alia via, rationeque commode in eo Vicarij munere sibi, suaque Ecclesiæ rectè consulere potest, videat, vt ne illius generis viros ad illud adhibeat.

Vicarij, Ministrique Episcopi, quomodo iurare tenentur. Cap. X.

**N**E Episcopi Vicarius, ministerve, iudicandi officium, partesque ab eo commissas, antea aggrediatur, suscipiatve, quam eidem iusiurandum præstiterit ad formulæ conceptæ præscriptum.

Vicarius



Vicarius Episcopi, sacro sit Subdiaconatus ordine ini-  
tius. Cap. XI.

**A** Equissimum est, & Canone Concilij Parisiensis traditum, eum qui Vicarium Episcopi personam, & munus Vicarium sustinet sacris initiatum esse. Quamobrem curet Episcopus Vicarium Generalem sibi constituere, qui præter cetera, quæ in Vicarij eiusmodi persona requiruntur, saltem Subdiaconus sit.

Dierum vtilium liber conficiendus. Cap. XII.

**D**ierum vtilium librum, quibus à fori sui Ecclesiastici iudicijs feriari liceat, Vicarius conficiendum, edendumq; pro fori sui ratione curet.

Quæ Vicarij generalis facultas existat. Cap. XIII.

**Q**uamcunque facultatem ex decretis in hoc libro per nos editis, per nostrum Vicarium Generalem exequi posse volumus, nisi in ijs, quæ propriè ad ordinem Episcopalem pertineant, aut in quibus Vicarius à sacris Canonibus, & à Concilio Trid. vel à nobis expressè exclusus est.

## DE TEMPORIBVS ORDINATIONVM, & qualitate ordinandorum.

Quid prius denunciandum, orandumq; vt ordines ritè conferantur. Cap. I.

**V**BEAT Episcopus, vt Dominico illo die, qui quatuor stat a ieiunij tempora, quibus ordinis Sacramentum ministratur proximè antecedit; Parochi non solum solenne illud ieiunium huius rei causa institutum denuncient, verum etiam in sua vnusquisq; eorum parochiali Ecclesia supplicationes, litaniaq; piè, ac religiosè, vel intus habeat, vel prosequente fidelium multitudine, foris Ecclesiam, sicut moris est, obeat, vt Dei, Sanctorumq; ope implorata, tum Episcopus in eorum delectu, quibus ordines conferet, Spiritus Sancti lumine illustretur; tum illi, quibus conferuntur in vitæ sanctitate, doctrina, religiosiq; virtutibus proficiant.

Constitutio Pij Secundi, ordinandis nè in pœnas incidant promulgetur. Cap. II.

**C**onstitutione Pij Secundi Pontificis Maximi, quicumque Clerici sine Canonica dispensatione, extra statuta tempora, vel ante legitimam ætatem, vel absque dimissorijs ordinarij sui literis, se ad aliquem sacrum ordinem promoueri fecerint: ab suorum ordinum quos susceperint executione ipso iure suspensi sunt, siq; suspensione durante, illorum ordinum ministerium, functionesve obierint, statim irregularitatem subeunt, obquam, præter alias pe-



nas, contra istos canonum iure sancitas, beneficijs etiam Ecclesiasticis privari possunt. Iis igitur pœnis nē quis facile illigetur, illam constitutionem quotannis, tum in Diœcesana Synodo promulgari, tum pridie illius diei, quo sacre ordinationes habebuntur, edici clericis iubemus, qui iuriabuntur.

In literis dimissorialibus quæ adscribenda, & testificanda sint. Cap. III.

**I**n firma valetudine, absens, aliave iusta causa impeditus Episcopus, si stas sacras ordinationes non habet, & aliquem propterea clericum suum ad alium Episcopum mittere velit, à quo alicui Ecclesiastico ordini adscribatur, testimonialibus literis ei datis, hæc adscribat, & testata faciat; vitæ in primis, & morum probitatem, doctrinam, qua idoneus examine habito, iudicatus est, ecclesiasticum ordinem, quo est proximè initiatus, tum præterea natales, aut dispensationem, si quam super illis obtinuerit: si verò maiori ordini adscribendus est, atatem item, & titulum, sufficientemq; censum beneficij, vel pensionis, vel patrimonij, quod ille habet.

Militiæ clericali adscribendus, quæ obire debeat, & per quos, & quomodo fit instituendus. Cap. IIII.

**V**BI primùm Episcopus, aut parochus aliquem norit, qui vel spontè se clericali militiæ adscribi velit, vel à parentibus adhuc infans destinetur, hoc sedulo curet, ut ille, quò diligentius clericalis disciplina, vitæq; religiose institutis primùm imbuatur, Ecclesiam frequentius adeat, functiones quas clerici obeunt, ceteraq; id generis ministeria cernat, ipsiq; parochi, vel alij Sacerdoti, quem Episcopus maluerit, in disciplinam curamve traditus, Ecclesiasticorum hominum consuetudine utatur. Sicq; multiplices ratione cum paulatim, & clericalis vitæ officijs obeundis, & laboribus suscipiendis assuescat, tum discat etiam, atque animadvertat, quod vitæ genus, si Ordinis Sacramento initiari vult, sequi debeat, proindeq; de re tota maturius ante deliberet.

Idem quod summatum est. Cap. V.

**P**ARACHI verò sit, illiusve cuius cura, Episcopi iussu traditus est, cum quæcunque clericalis vocationis, institutionisve sunt, aliquando monere, ac docere diligenter,

Qualiter Parochus bonæ spei pueros erudire, & illos ad Episcopum deferre debeat. Cap. VI.

**V**T ad Ecclesie ministerium complures instituuntur, qui ab ineunte pœnè etate ad pietatem, vitæq; innocentiam, cum literarum doctrinæ coniunctam, accuratè instructi, ei sanctè, & utiliterq; post inseruiant, illud unusquisque parochus valde studeat, ut quam plurimos potest pueros,

præsertim



præsertim pauperes, bona indole præditos, qui spem afferant, se sacris initiatos, Ecclesiæ ministros viles fore; ad Ecclesiasticæ vitæ normam accuratè erudiat, eosdemq; præterea, cum antea tum etiam in primis, post susceptam clericalem tonsuram, ac deinceps minoribus ordinibus adscriptos, pro paternæ charitatis studio, optimis moribus, clericali religioni congruentibus, clericalliumq; functionum disciplina bene informet; literisq; item instruat, eos præsertim, qui ab alijs probatis viris, artem literariam profitentibus, ob inopiam, aliamve causam, commodius, diligentiusq; erudiri non possunt.

Eorum autem singulorum mores, studia, literarumq; progressionem Episcopo parochus aliquando significet, ut suo tempore, vel in seminarium cooptati, vel alia quacunque via adiuti, pro ætatis ratione, proq; ingenij captu, studijs grauioribus se dedere queant.

Sacræ ordinationes quibus temporibus, qua solennitate, assistentia, locove haberi debeant. Cap. V I I.

**S**acræ ordinationes, tum stas solùm quatuor anni temporibus, nisi ob vrgentem causam, illas alio tempore aliquando, facultate à Sede Apostolica literis data, haberi necesse sit, tum in Ecclesia Cathedrali, ritu solenni, canonicisq; præsentibus habeantur. Si verò quandoq; in diæcesano loco habeantur, in illius loci Ecclesia primaria celebrentur, Clero eiusdem præsentem, ut decreto Tridentino cautum est.

Concil.  
Triden.  
sess. 23.  
ca. 8. de  
refer.

Literæ testimoniales, & dimissoriæ quales, & per quantum tempus decerni debeant, & quando Episcopali cancellario sint reddendæ. Cap. V I I I.

**S**æpe illud, facileq; euenit, ut vel hominis mores mutantur, vel quod de illius vita minus antea notum, atque exploratum erat, id postea aliquo modo patet fiat; quod sit, ut quem Episcopus superiorve aliquando probavit, dignumq; existimavit, aliquo etiam sacro ordine initiari, illum ipsum post inueniat indignum, neque idoneum esse, cui idem, aut maior ordo conferatur. Quare ut, & erroribus, multipliciq; fraudi occurratur, & planè seruentur decreta illa Tridentina, vnum, quo vetatur ad superioris ordinis gradum illos ascendere, qui in inferiori aliquandiu, Episcopi iudicio versati non sint, quiq; cum ætate, vitæ etiam merito, doctrinaq; maiori non processerint; alterum, quo cauetur nemini licere ab alio Episcopo primam tonsuram, aut ordinem aliquem suscipere, nisi eius probitas, & mores, ordinarij sui testimonio primùm commendentur; Episcopus prout pro sua prudentia, pietateq; expedire censuerit, in primis videat, nè cuiquam ante, quàm sacræ ordinationis tempus proximè inflet literas eiusmodi testimoniales, dimissoriasve, pro ordinibus ab alio Episcopo suscipiendis, sine necessaria causa unquam concedat. Neque item ysdem literis facultatem det, plures ordines suscipiendi, quàm illos ipsos tantùm, quos vno, eodemq; tempore ab eo suscipi voluerit, ac per sacros Canones licuerit.

Sess. 23.  
c. 11. de  
refer.

d. Sess.  
23. c. 8.  
de ref.



*Præfinitat præterea in illis ipsis certum suscipiendi ordinis, cui quisquam adscribendus est tempus mensurum scilicet, vel bimestre, vel longius, ut pro loci distantia, pro aliave eiusmodi causa esse viderit. Quo præfinito tempore transacto, eas literas, illo nomine à se concessas, ei in posterum nihil suffragari, nihilq; roboris habere iisdem literis declaret: quas etiam Cancellario Episcopali ab illo, cui concessæ sunt, reddi decernant.*

Quando literarum testimonialium, & dimissoriarum virtute poterit alienæ diœcesis viros ordinare præfixo, vel non præfixo tempore. Cap. I X.

**N**ec verò alienæ diœcesis clerico Seculari, neque vlli omnino regulari, literarum auctoritate, quas dimissorias, testimonialesve hic ab superiore, aut ille ab Ordinario suo habet Episcopus ordinem aliquem, vel minorem, vel maiorem, ac ne primam quidem tonsuram tempore illarum literarum præterito, conferat. Quod si nullum iisdem literis spatium temporis præscriptum sit, ne item in sacra ordinatione quemquam promoveat, nisi eas recenter, aut scriptas, aut renouatas confirmatasve is afferat: atque ita recenter quidem, ut non amplius duobus, tribusve mensibus ante sacra ordinationis, qua ille proximè initiandus est, tempus, datæ, confirmatæve sint: si modò aut loci distantia, aut eius, qui ordinem suscepturus est, diuturna ab suo Episcopo, superioreve absentia, aliave id generis causa Vetustiores literas, eiusdem Episcopi iudicio, admitti, probariue non postulet. Id ipsum quoq; Episcopus in testimonialibus morum literis cauebit, quas suæ etiam diœcesis Clerici, alijve quicumque eo de genere afferent.

Qualiter testimoniales Clericorum, etiam regularium diu absentium non solum superioris, sed etiam eorum apud quos proximè manserint requirantur. Cap. X.

**L**iteras autem eiusmodi, de moribus testatum facientes, ab alienæ diœcesis Clericis, regularibusve item, qui ab sua diœcesi, monasteriove proximè aliquandiu abfuerint, sibi afferri, exhiberiue curet, non solum ab eorum Episcopo, superioreve, sed ab illo etiam, apud quem proximè manserint, eiusve auctoritate scriptas, atque obsignatas.

Idem quod supra, pro Clericis suæ diœcesis seruetur. Cap. X I.

**Q**uod idem à suis Clericis præstari iubeat, qui in aliena diœcesi, aliquo temporis spatio, proximè fuerint.

Qui intra statutum tempus, vel aliàs, menses tres ordines non susceperint, literas ea de re concreditas restituant.

Cap. X I I.

**S**i verò qui eo spatio in literis præfinito, aut si nullum etiam præfinitum sit, duobus, aut tribus post datas, renouatasve literas, mensibus, ordines



non susceperit; tum literas illas, vel dimissorias, vel morum testimoniales, eo nomine sibi ab suo ordinario, vel superiore primum datas; Vel recenter confirmatas, renouat a se, quam primum per loci distantiam potest, eidem per se, vel alium restituat, reddat ve, nisi aliud ex causa ipse Episcopus iudicauerit.

Qui item ab suo Episcopo eos suscepturus est, quod ad morum suorum testificationes attinet, à quibus debet, iterum recentes illas ei asserat: exhibeat ve.

Qui irretiti, & inhabiles à susceptione ordinum prohibeantur.

Cap. X I I I.

**S**I quis una aliqua culpa, impedimento ve, ut infra irretitus tenetur, ne ad sacram ordinationem contra sacrorum Canonum prescriptum accedat, ut ne censuras, pœnas ve canonico iure illis, qui tales, ad eam accesserint, constitutas, subeat. Rursus diligentiam Episcopus adhibeat, nè fraude, vel dolo quispiam sacre ordinationi se se ingerat.

Impedimento irretiti hi sunt.

Minores natu.

Sacramento Chrismatis non confirmati.

Rudes, & ignari.

Criminosi.

Solenniter pœnitentes.

Neophyti.

Ebrietati, & gulæ dediti.

Impudici.

Lapsi post ordinem susceptum

Periuri.

Usurarij manifesti.

Infames.

Ratiocinijs obligati.

Serui.

Corpore vitiati.

Insigniter deformes.

Illegitimè nati.

Bigami.

Irregulares quouis alio modo.

Suspensi.

Interdicti.

Excommunicati.

Amentes.

Morbo caduco laborantes.

Energumeni.

Non examinati, & probati.

Ad



Ad Subdiaconatus, & Diaconatus ordines promouendorum, quæ preparatio requiratur. Cap. X I I I I.

**S**ubdiaconatum suscepturus, quod diligentius vitæ perpendat rationem, cui se, illum suscipiendo, sanctè obstringit; ac proinde re tota accuratius deliberata, puriori mente, ardentioriq; animi voluntate, ad rem tanti momenti accedat, priusquam eo sacro ordine initietur, aliquem semotum locum adeat, vbi ab omnibus curis, & occupationibus liber, cum omnis antea vitæ suæ peccata, diligenti conscientia discussione, ritè confiteatur, tum in salutaribus meditationibus, alijsq; spiritualibus exercitationibus totus versetur, duce, & moderatore sibi adhibito, religioso viro, earum vsu perito.

Quas item exercitationes, eodem prescripto, & modo, eo tempore, diaconi, cum ad Sacerdotij gradum accessuri sunt, pie inceant, ac præsent.

Nullus titulo aliquo, ad victum non sufficienti, promoueatur.

Cap. X V.

**N**emo titulo seminarij sacris maioribus ordinibus adscribatur, neque titulo, item beneficij, aut pensionis alteriusve census, quem ei ad victum, Episcopi iudicio, satis esse non constet.

Maioribus ordinibus initiandi prius ad Episcopum se conferant. Cap. X V I.

Seff. 23.  
ca. 5. de  
refor.

**Q**ui maioribus ordinibus initiari volunt, ij, quod Tridentino decreto insum est, inuiolatè planè seruent, vt mense scilicet, aut longiori, ante statam sacra ordinationis diem temporis spatium, pro vt edito Episcopali prænitum erit, ad Episcopum se conferat.

Quæ circa prima tonsura, & sacris ordinibus initiandos seruanda erunt. Cap. X V I I.

De Sacra  
mè. Ord.  
c. 7. n. 13.

**Q**uoniam verò prima tonsura, vt Cathæchismi etiam Romani literis traditur, ad ordines suscipiendos quædam preparatio ijs est, qui Dei ministerio dicandi sint: per multum propterea refert, omnem in illa conferenda, & suscipienda, diligentiam studiosè adhiberi. Quamobrem id quoque ab ijs, qui prima tonsura initiandi erunt, omnino seruari, ac præstari decernimus, nisi aliquando Episcopus aliud ob causam faciendum censuerit.

Prædictorum prosequutio. Cap. X V I I I.

**P**restituto igitur tempore omnium, ac singulorum, tum etiam qui maioribus ordinibus initiandi, ad Episcopum accesserint, nomen, cognomen, parentes, patria, & ecclesia parochialis, intra cuius fines quisq; ortus, atque illa item, vbi proximè habitavit, rectè notentur Episcopi iussu. Ac præterea beneficium Ecclesiasticum, pensiove, aut patrimonium, illiusve generis census, cuius nomine, titulove quis sacros ordines suscepturus est. Hæc verò ipsa,

lite-



literis exarata à parochio, ab eo ve, cui Episcopus id negotij dederit, publice de illis proponentur die festo inter missarum solennia in Ecclesia, & Cathedrali, & propria parochiali, & in illa quoque, in cuius finibus postremò domicilium habuerit, & ubi præterea Episcopus censuerit. Hac adhibita ratione inquirat diligenter is, cui id muneris Episcopus dederit, de eorum, qui prima tonsura, vel sacris maioribus ordinibus initiandi sunt, natalibus, et ætate, vita, & moribus, ac cæteris, quæ oportet, à Viris spectata probitate. Nec verò is testimonialibus solum, quæ eorundem, qui ordinibus initiandi sunt, nomine fient, vel afferentur, contentus omnino sit; sed aliunde, etiam si ita Episcopo expedire videbitur.

## Morum testificatio qualiter habenda. Cap. X I X.

**Q**uoniam quod ad mores illorum inquirendos attinet, testificatio ab ijs nulla conquiratur, quos suæ vitæ testes ipsi attulerint, nominarint ve, si id testimonij genus ab alijs, spectata integritate viris rectè haberi queat. Alia præterea omnis diligens cautio ab eo, quem huic numeri Episcopus constituerit, adhibeatur.

## Quales, &amp; quibus testimoniales sint transmittendæ. Cap. XX.

**L**itteræ porrò, quibus tota hæc inquisitio, ac testificatio continetur, ad Episcopum rectè obsignatæ ab eo mittantur, cui id ille curæ mandavit. At verò, ne propter eiusmodi, aliam ve diligentiam, quam pro sui muneris officio Episcopus in eorum, qui ordines suscepturi sunt, natalibus, ac moribus, cæterisque, id genus, perquirendis adhibuerit, eorum quisquam excusetur, quominus præscriptas sibi de se, suisque conditionibus, qualitatibus ve testificationes certas, infra constitutas afferat.

## Edicto tempus conveniendi ordinandis, &amp; afferendi testimoniales ab Episcopo statuendum. Cap. X X I.

**Q**uæ testificationes afferendi id tempus illi præstitutum sit, quo examen subituri, ordinis suscipiendi causa, ad Episcopum convenient. Quod sanè tempus, Episcopali etiam edicto, significandum illis, qui in vrbe sunt, Feriam scilicet secundam Hebdomadæ, statam sacre ordinationis diem præcedentis, diæcesanis autem, alijs ve ante feriam quartam hebdomadæ, in quam ipsa sacra ordinatio inciderit constituimus; id verò nisi pro numero eorum, de quorum agetur promotione, brevius, aut longius conveniendi tempus, edicto suo Episcopus præscribendum censuerit.

## Quæ literis prima tonsura, &amp; alijs ordinibus initiandi testata habere debeant. Cap. X X I I.

**O**mnis, quicumque vel ad primam tonsuram, vel ordines minores, maiores ve suscepturus est, ea singula quæ mox infra ordine statuuntur, de se literis legitime testata suo Episcopo faciat.

Primo



Primò se legitimo matrimonio natum esse, aut ob nat alium impedimentum, secum dispensatum esse.

2 Præterea se vel origine, vel beneficio Ecclesiastico personalem residentiam requirente, quod in diœcesi obtinet, vel decenniali domicilio, vel alia quavis legitima ratione diœcesanum esse.

3 Tum à parochio, à ludiq; magistro, Ut Tridentina Synodus Oecumenica iubet, aut ab eo, quem in quouis studiorum genere audit, aut si in Seminario adscriptus est, ab illius Rectore, aut ab alijs, quos Episcopus maluerit, obsignatas literas, afferat, quibus de vitæ suæ disciplina, moribusq; testatum fiat.

4 Doctrinæ item Christianæ scholas se frequentasse, id testimonij afferat, vel à præfeto illarum in parochiali vicinia sua constituto, vel ab eo, qui omnium id generis scholarum curæ præest.

Hæc præterea testimonia afferret, qui se prima tonsura initiari vult.

5 Sacro chrismate confirmatum esse.

6 In Ecclesia frequentius, religiosiusq; versatum esse.

7 Spe esse, se in clericali ordinis disciplina permansurum; hoc verò testimonium à Parocho, aut ab eo Sacerdote habeat, cui ab Episcopo in disciplinam traditus est, postquam clericali ordinis suscipiendi animum, voluntatemq; ei patefecit.

8 Sacram item communionem crebrò per annum sumpsisse.

9 Licebit etiam sine testimonio tum sumptæ communionis, tum frequentatæ scholæ doctrinæ Christianæ ob causam admittere.

Prosequutio prædictorum. Cap. XXIII.

**Q**ui verò aliquo minori, maiorivè ordine initiandus est, testimonium præter ea, quæ mox supra præscripta sunt, afferat etiam de his, quæ sequuntur.

De prima tonsura, aut de ordine, quem proximè suscepit.

De illius ordinis functionibus à se præstitis; idque testificationis habeat à præfeto Ecclesiæ, cuius adscriptus est. Nec verò etiam regularis, cuiuscunq; ordinis sit, admittatur, qui hoc testimonium non attulerit à suo superiore.

De habitu clericali post ordinem proximè susceptum, à se assidue gestato; quam testificationem à Parocho afferat.

De confessione frequentiori, ex decretorum nostrorum præscripto, cuius rei testimonium, obsignatum ab aliquo confessorio Sacerdote, probato ad audiendas confessiones clericorum afferat.

De Sacra Communione, ut decretis nostris iussum est, crebrius sumptæ. Hoc autem testatum afferat, vel à Parocho, vel à præfeto Ecclesiæ, in qua adscriptus est, vel ab alio Sacerdote cui Episcopi iussu ministravit.

Quæ præter cætera ad sacros ordines promouendi particulariter testata afferant. Cap. XXIII.

**Q**ui Subdiaconatum, aliumve sacrum ordinem suscepturus est, scripta præterea afferat, quibus præter cætera testetur.



De se, ex præscripta formula, denunciations in Ecclesia Cathedrali, & in alijs per Episcopum constitutis, publicè die festo inter missarum solennia factas esse.

Ætatem item, sanctione Tridentina præscriptam, annos scilicet viginti duos, si subdiaconatum; vigintitres, si diaconatum; viginti quinque attigisse, si Sacerdotium suscepturus est.

Censum item vel Ecclesiasticum, vel laicalem, quem & pacificè possidere, & tantum esse constet, quantum ad vitæ eius sustentandæ usum satis esse Episcopus censuerit, secundum loci qualitatem.

Quicumque uerò subdiaconus, aut Sacerdos creandus est, id præter alia testificationis afferat, se spirituales exercitationes præstitisse.

Edictum pro ordinationibus qualiter, & quando ab Episcopo promulgandum. Cap. X X V.

**V**T & Episcopo, sacram ordinationem habituro, & ijs, qui ordinis Sacramento initiandi sunt, satis temporis detur, quo præstare possint, quæcunque vel Sacri Tridentini Concilij decretis, uel nostris constitutionibus, ante stata illius sacræ ordinationis tempora, in ijs præsertim qui maiores ordines suscepturi sunt, præstari iussum est; primò Episcopus, stans illis temporibus eam de more solenniter celebraturus, duobus ante mensibus, aut amplius, minusve, diem literis indicat: tum edictum, certa verborum formula conscriptum publicè proponi, Ecclesiæque Cathedralis valuis, alijsque ut consuetudinis est, locis affigi, idemque præterea à singulis Parochis promulgari iubeat.

Quo edicto omnes quicumque, uel primam tonsuram, uel ordines minores, maioresve suscepturi sunt, ad sacram ordinationem euocet. Certum præterea spatium præstituatur, quo ad se omnino illi singuli, qui prima tonsura, aut aliquo sacro ordine initiandi sunt, ante stata ordinationis tempora conueniant.

Cap. X X V I.

**C**ertum item diem, sacræ ordinationi proximam edicat, qua primò, qui in urbe sunt, tum rursus alteram, qua diocesani, qui prima tonsura, aut aliquo ordine initiandi sunt, cum præscripta testimonia afferant, tum stata examina subituri, præsto sint. Reliqua præterea omnia, & singula edicat, & commoneat, quæ uel à clericis, qui initiandi sunt, uel à Parochis, sacræ ordinationis causa præstari debent.

Edictum quod supra à Parocho promulgandum cum indicatione diei ordinationis. Cap. X X V I I.

**P**roximo autem post illam edicti promulgationem die Dominico, Parochi, qui in urbe sunt, tum uerò diocesani ubi primùm literas indicationis diei sacræ ordinationis celebrandæ acceperint, Dominico die proxime sequenti, in sua quique Ecclesia illas publicè proponant, atque affigant, unà cum edicto, de sacræ ordinatione.

Quæ



Quæ orationes singulis diebus Dominicis pro ordinationibus per  
mensẽ ante sint habendæ. Cap. XXVIII.

**Q**uo Dominico promulgationis die, ob sacram ordinationem proximè fu-  
turam, in singulis Ecclesijs Parochialibus, ut aliàs decretum est, pro-  
cessio de more agatur, Litanis supplicationibus publicis, quibus unusquisque  
secum mente reputans, quàm pauci operarij in messe multa sint, hoc Deum  
toto corde exoret, ut qui Dominus est messis, ipse mittat operarios in messem  
suam, ac lumen Episcopo præbeat, ut in ijs deligendis, quos ordinibus ad-  
scribat, quos Verò Episcopus delegerit, ope diuina illi adiuti, in sanctitate,  
& iustitia ei seruiant, eiusdem gloriam omnibus in rebus sibi preponentes.  
Quod, ut eo nomine Deum populus supplex sæpius oret: id illum singulis die-  
bus Dominicis per mensẽ ante sacræ ordinationis tempus, crebra cohorta-  
tione, Parochi intra missarum solennia præmoneant: at Dominico die illam  
proximè præcedenti, admonitione populum ad illud excitent, ut non modò  
supplicationes ob eam causam iam aliàs decretas, piè, religioseq; tunc obe-  
at sed illis ipsis stans, qui sequuntur, sacræ ordinationis diebus, frequens in  
oratione purè, sanctèq; versetur; ut Dei sanctorumq; ope, p̃ys fidelium  
præcationibus impetrata, & Episcopus ordines ijs conferat, quos Utiles  
operarios Ecclesię Dei postulat, & qui ordines suscipient, in dies progressus  
maiores habeant in vita, morumq; sanctitate, religione, doctrina, ac pru-  
dentia.

Sup. idẽ  
de offic.  
examin.  
c. 2.

Id Episcopus quantum sibi per occupationes Episcopales licet, maximè  
curet, ut cum experimentum, examenve de ijs instituitur, qui ordinibus præ-  
sertim maioribus initiandi, quiq; Ecclesijs Parochialibus præficiendi sunt,  
ipse præsens in eo examine adsit.

Etiã de cantus peritia, & diuini officij recitatione examen habend-  
um est. Cap. XXIX.

**Q**icumque Ecclesiasticum aliquem ordinem suscepturus est, de eo peri-  
culum, experimentumve fiat, non solùm in literarum scientia, verum  
etiam in cantus peritia; tum præterea, si sacro ordini adscribendus est, in  
usu, ac notitia, quam in recitandis diuini officij horarijs laudibus, precibusq;  
habeat.

Adscriptionis testificatio in testimonialibus fiat, quæ nihilomi-  
nus iterum per Episcopum fieri poterit.

Cap. XXX.

Seff. 23.  
ca. 11. &  
13. & a-  
pertio ca.  
16. de re  
format.

**I**n testimonialibus ordinis, ab vnoquoque suscepti, literis, fiat testificatio  
etiam Ecclesiæ, lociue p̃y, cui is tum adscriptus est, ex Tridentino decreto.  
Nec uerò propterea quominus alijs, uel Ecclesiæ, uel loco pio, eundem etiam  
postea ab Episcopo adscribi liceat, uctitum sit.

Tem-



Temporum interstitia seruentur in quibus si dispensari contigerit testimonialibus ordinum inscribantur.

## Cap. XXXI.

**S**Tata illa temporum interualla, ordinibus, tum minoribus, tum maioribus suscipiendis Concilij Tridentini decreto prescripta, ne facile, ac passim sine ullo delectu pretermittantur, omittantur ve. Quod si de ijs aliquid ab Episcopo remitti, dispensari ve contigerit, id in literis dimissorijs, testimonialibus ordinum testatum plane fiat.

Sess. 23.  
cap. 3. de  
reor.

Ab alieno Episcopo ordinatus, quando hoc ipsum proprio Episcopo referat, & ascribi curet. Cap. XXXII.

**C**Lericus, qui ab suo Episcopo literis testimonialibus, dimissorijsue impetratis, ordinem ab alio Episcopo suscepit; mense post illum susceptum, aut longiori pro loci distantia temporis spatio, in eiusdem literis prescripto, testificationem ordinis quem suscepit, scriptam suo Episcopo asserat, si verò legitima causa impeditus est id per aliam prestat.

At ubi primum poterit, ipse quoque Episcopum conueniat, vt & in eorum, qui ordinibus adscripti sunt, librum referatur, & certa Ecclesie si nondum adscriptus est, ex Tridentino decreto adscribatur.

Qualiter, & à quibus functiones prestari debent, & ministri sustentandi sunt. Cap. XXXIII.

**V**T & minorum ordinum functiones ad vsum reuocentur, & per eos tantum prestentur, exerceantur ve, qui in illis constituti, adscripti in e sunt, ad Tridentinę constitutionis prescriptum, hæc decernimus.

Ubi fabrica, capitula, monasteria, Uniuersitates, confraria, collegia ve, item cuiusvis generis, ac alij præterea quiuus homines, laicum custodis, aut monachi, vel alio nomine, certis etiam olim, huic muneri attributis bonis, fructibus, redditibus, aut alio quouis modo, nomine ve, etiam pro libito suo, constituta mercede, habere, adhibere ve solent, qui Ecclesiam custodiat, aperiat, claudat ve, campanas pulset, aliasve huiusmodi Ecclesiasticas functiones obeat: aut alias census est, quauis ratione, huic sustentationi attributus: eius laici hominis loco, clericus deligatur; qui pro ratione ordinum minorum, quos suscepit, earum functionum munus, prestat: atque is constitutam illi mercedem, aut attributos fructus, redditus ve capiat; qui si satis non sint, illa vel capitula, vel monasteria, vel collegia, vel alij ut supra, ad quos aliquo modo pertinet, quod deest suppleant.

In omni uerò Parochiali Ecclesia clericum talem Parochus habeat, ut ex Canonum iure, & constitutionibus nostris prescriptum; sin autem Parochus, præ Parochialis Ecclesie tenni redditu, clericum sibi in altari ministrantem sustentare non potest, neque alij sunt, qui sustentent, populi sit, totam sustentationem, aut partem, quæ deest subministrare.

Cap. Vt  
quisque,  
ex. de vit.  
& hone.  
cler. in-  
fra de of-  
ficio Pa-  
rochi. c.  
24. §. ult.



3 Quibus etiam in capellis, altaribusve quocunque vel tituli, vel deuotionis, & legati nomine missæ sacrificium fit, in ijs item singulis certum aliquem clericum, qui Sacerdoti, missam celebranti, inserviat, sustentari iubemus. Quamobrem vbi non confratria, scholæve, non monasteria, Ecclesiasticæve fabricæ, aut locorum piorum curatores, neque alij sunt, qui hoc clericalis sustentationis munus ibi præstare vltro velint, aut qui iure debeant pro eorundem capellarum, altariumve ratione præstetur, si ex tituli nomine in ijs missa celebratur, eorum sumptibus, qui titulum gerunt, si ex legato, cuius certa summa sit, mercede ex eo detracta si ex deuotione, aliove nomine illorum impensis id præstetur, quorum nomine illud missæ sacrificium fit, siue locorum piorum homines illi sint, siue sodalitates, siue vniuersitates, siue priuatus aliquis. Si verò Capellæ, Altaris, aut legati, census, vsque adeo exiguus, ac tenuis est, quo clerici sustentandi onus sustineri non possit, ea ratio ab Episcopo ineatur, vt contributione vndiq, ex ijs capellis, altaribusve, quæ in eadem Ecclesia, vel si ita necesse sit, etiam quæ in parochia finibus sunt, pro ratione reddituum, vel muneris, facta, huic clerici sustentationi satisfiat. Qui clericus omnibus illarum capellarum, & altarium sacerdotibus in missæ sacrificio ministrret.

4 Quibus autem clericis, ita vt supra, prouisum erit, pro ratione minorum ordinum, quos susceperint, Ecclesiasticas functiones ijs in Ecclesijs, vbi sustentationem capiunt, ipsi præstent. Quibus verò in Ecclesijs tempore ab Episcopo præstitueno non erit constitutus clericus, clericali habitu indutus, qui Sacerdoti missam celebranti ministrret, quiq, Ecclesiasticas minorum ordinum functiones, illarum Ecclesiarum vsui, & cultui necessarias, pro ratione ordinis à se suscepti, obeat, in ijs, à nullo Sacerdote celebretur, nisi rei facultatem, ex vrgenti causa concedendam Episcopus iudicarit.

5 Ne verò laici, neve disciplinarum confratres, alteriusve cuiusvis confratris homines, ne moniales uem, vt Canone vetitum est, benedictionem, purificationemve, sibi mutuo, neque verò alijs impartiantur.

6 Clericus, ne Sacerdoti in altari ante ministrret, quam in illius ministerij functione ritè instructus sit, & ab eo probatus, qui in vrbe, & in vnaquaq, plebe ceremoniarum muneri, ex nostra constitutionis decreto, præfatus est.

7 Nec verò etiam Ecclesiasticus homo, Cantoris, Sacristæ, custodis, Clerici, in Missæ sacrificio ministrantis, munus, aliamve Ecclesiasticam functionem, in qua ijs Ecclesia suscipiat, nisi illius vniuscuiusque muneris in ea Ecclesia gerendi, ab Episcopo facultatem scriptam, vira etiam, ac moribus ab eodem probatus, impetrauit. Qui aliter susceperit, obieritve, qui item aliter, quam præscriptum est, conduxerit, aut receperit, pro modo culpæ arbitrato Episcopi puniatur. De organista item, uel laico, uel Ecclesiastico homine idem constitutum, sancitumve sit.

8 Tabella ex omnium functionum præscriptarum ratione, in omni Ecclesia Cathedrali collegiata, et parochiali sit, quæ in sacrificii loco certo, per Episcopus proponatur, vt clerici adscripti, suas quique functiones nosse, atque exequi ritè possint.



Quæ à suscepturo ordines generaliter inuestiganda erunt.

Cap. XXXIII.

**I**nuestigetur præterea, cum quis ordinem aliquem suscepturus, ad examen uenit, quamdiu est, quo alium ordinem suscepit, ut nemini ad altiore gradum pateat ascensus, nisi in singulis alijs inferioris ordinis gradibus congruo temporis spatio perstiterit, ad præscriptum Tridentinæ sanctionis, nisi aliud, ex causa Episcopus iudicauerit.

Scff. 23.  
ca. 13. de  
reform.

An uim, & naturam, mysteriaq; ordinis quem suscepturus est, norit.

An item ritus, & ceremonias, quæ ex libro Pontificali adhibentur, cum initiantur.

An eorum item significationes sanctiores.

An sacramentum uestium, quibus induuntur, mysteria item, & significata.

An sanctonum notitiam habeat, ordinis, quo quisque initiandus est.

An earum usum, exercitationemq; rectè teneat, cum in literis, tum etiam in cantu: in quo experimento adhibeantur cantus periti.

Quæ specialiter pro uoquoque ordine à suscepturo inuestiganda erunt. Cap. XXXV.

**H**æc generatim ab omnibus, & singulis explorentur. Nunc præterea sequuntur, quæ sigillatim cuiusq; ordinis propria, suo loco præscriptæ, perquirenda sunt, ita tamen, ut examinatores pro prudentiæ suæ ratione, quæ in ordinis inferioris examine, exploratione ue requirantur, aliquando etiam perquirant ab ijs, qui superiori ordine initiantur.

Quæ à tonsurando.

De ijs, qui prima tonsura initiandi sunt queratur, & inuestigetur.

Primum, quam ob causam se Clericos fieri uelint.

An secularis iudicij uitandi causa iniciari curent.

An contentiosis litibus implicati.

An rixam, simultatemq; exerceant.

Quod item artificium teneant, quæue in arte, quæue in uitæ genere hactenus uersati sint.

An tales sint, qui spem præbeant, Ecclesiæ ministros utiles se fore.

A quo sacerdote, sanctioris uitæ magistro, instituti sint ad clericalis uitæ modum.

An legere, & pronunciare, & scribere norint, tum in utroque genere de ijs periculum fiat.

An doctrinæ Christianæ præcepta, institutaq; sciant.

An epactæ intelligentiam habeant.

Præterea an Sacramentum confirmationis susceperint.



Quæ pro minoribus ordinibus perquirenda.

Cap. XXXVI.

**D**E ijs verò, qui in minoribus ordinibus ascribi volunt, quærat, experiundoq; cognoscatur.

An saltem primordia grammaticæ, & linguam latinam intelligant.

An scientia spēs tales eos ostendat, qui digni sint, ut ad maiores ordines aliquando ascendant.

Quæ pro maioribus ordinibus examinanda.

Cap. XXXVII.

**Q**ui verò sacris ordinibus utpotè Subdiaconatu, Diaconatu, Sacerdotio initiandi sunt, cum ornati, exculsiq; ijs virtutibus esse debeant, quæ in clericis inferiorum ordinum requiruntur, sicut ad altiorem ordinis gradum ascendunt, ita virtutum, & probitatis, et doctrinæ quodam quasi ascensu præstare debent.

Quamobrem hoc in primis examinatores videant, an qui ordinis Sacramento initiantur, per singulos illius gradus, & in vitæ spiritualis disciplina maiorem progressionem fecerint.

An breuiarium, anq; sacra Biblia, an item sanctorum Patrum volumina, Conc. Tridentinum, & prouincialia quoque, presentes constitutiones. Synodos diocesanas, Catechismum Romanum, rationale diuinorum Officiorum, & libros aliquos de vitæ spiritualis rationibus conscriptos, sui muneris vsui accommodatos habeant.

A Subdiaconis potissimum de ordinum minorum quærat, & maiorum differentia.

An in minoribus ordinibus probatus sit.

De voto item continentie, quod subdiaconatus ordini coniunctum est.

De Sacramentorum etiam doctrina saltem generatim.

Tum eorundem periculum, experimentum ve fiat in officij diuini recitandi ratione.

Diaconorum præcipuum examen. Cap. XXXVIII.

**D**iaconorum examen, experimentum ve fiat, præterea aliquanto diligentius de Sacramentorum doctrina.

Experimentum item aliquod fiat in concionibus habendis, ex ratione concionatorum examini præscripta.

Præcipuum item examen Sacerdotum.

Cap. XXXIX.

**A**B ijs, qui sacerdotio initiari volunt, hæc sigillatim studiosius perquirantur.

An



*An piè & fideliter in ministerijs ante actis se gesserint.*

*An spectata pietate, anque castis moribus.*

*An præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ documenta ab eo expectari possint.*

*Hæc præterea quærantur.*

*Quid sit Missæ sacrificium.*

*Qui illius sacrificij effectus.*

*Quæ eiusdem partes.*

*Quæ mysteria in eo insint.*

*Quæ sacrarum vestium significationes.*

*Quæ in eo officio offerendo requirantur.*

*Ubi, & quando illud fieri non licet.*

*Quæ dubia aliquando incidere possunt.*

*Quæ explicatione opus habeant, ut illud rectè fiat.*

Prosequutio prædictorum. Cap. X L.

**T**VM experimentum eorum ex præscriptis infra regulis fiat.

*An sacræ confessionis aliquam peritiam habeant.*

*An ad alia item sacramenta rectè, riteq; ministranda idonei sint.*

*An eorum cognitionem explicatiorem habeant ex interrogationum præscripto, ut infra de parcho.*

*An doctrinam item teneant, qua verbum Dei rectè tractare, concionemve habere possint.*

*Anq; de re sacra, de christianarum virtutum officijs, atque de omni re ad salutem necessaria aptè populum instruere, aut docere possint.*

Perquirenda maximè ab ijs, qui ad Sacerdotium, vel Parochialem aut confesiones audiendas seu conciones habendas se accingunt. Cap. X L I.

**C**UM verò à cæteris omnibus, ut præscriptum pauld ante est, qui clericali militia adscribuntur, de vitæ spiritualis, sanctiorisq; institutis, atque exercitationibus perquiratur, tum maximè ab ijs, qui vel sacerdotio initiantur, vel Parochialem curam suscipiunt, vel sacræ confessionis audiendæ munus sumunt, vel in tractatione verbi Dei, sacrifq; concionibus versari volunt.

A quibus omnibus, & singulis cum ad examen veniunt, præter cætera, quæ ad sanctæ spiritualis vitæ usum pertinent, ea maximè explorentur, quæ de orandi modo, deque omni sanctarum meditationum, cælestiumq; contemplationum exercitatione ab alijs, qui in eo genere religiose se exercuerunt tradita sunt.



Capita quædam præcipua ab initiandis diligenter inquirenda.

Cap. X L I I.

**I**n ijs, quæ Oecumenica Synodus Tridentina de sacra ordinatione statuit, vberius etiam prouincialium Conciliorum decretis explicata, multa sunt, quorum diligens ratio etiam in regularibus habenda est; atque eorum quidem capita quædam præcipua infra hoc decreto complexi sumus. Videat igitur Episcopus, vt quicquid de ijs ipsis capitibus, vel eodem Tridentino Concilio, vel Synodis prouincialibus, etiam generatim constitutum est, in illis initiandis quàm diligentissimè ab ipso seruetur.

Culpæ, impedimentaræ Canonica ordinis suscipiendi quarto Concilio enumerata.

Literæ testimoniales superiores.

Testimonium de natalibus, & etate præscripta Tridentino Concilio.

Testificatio ordinis proximè suscepti.

Progressio in Ecclesiastica disciplina.

Testimonium bonum.

Denunciatio nominis in Ecclesia.

Ascriptio, & ministerium in Ecclesia, cui adscriptus est.

Exercitatio functionum ordinis suscepti.

Frequentia sacrae communionis.

Reuerentia, atque obseruantia erga Sacerdotes, & superiores.

Interuallum anni inter postremum ordinum minorum gradum, & subdiaconatum, ac rursus inter vnum, & alterum ex sacris ordinibus, nisi necessitas, aut Ecclesiæ vtilitas, iudicio Episcopi aliud postulet.

Diligens examen Episcopi.

Literarum scientia, & cantus peritia, ac aliæ instructiones ad ordinis suscipiendi functiones ritè, rectèq; obeundas.

Vsus, & peritia recitandi diuinum officium.

Loco tituli, censusve testificatio præstita & professionis regularis, præscripta in Concilio prouinciali secundo.

Absentibus dimissoriæ non concedantur, nisi prius examinentur & à quibus.

Cap. X L I I I.

**C**lericos à diœcesi absentes, qui dimissorias literas petunt, Episcopus ad se, examinis causa euocet; liceat tamen ei aliquando, si hoc minus commodè præstari posse censuerit, examen illud speciatim Episcopo delegare, in cuius diœcesi illi morantur: at verò tunc literas dimissorias ne det, antequam examinis facti literas ab eo acceperit, cui illud delegauit.



Baculi, & mitræ ius habentes, etsi non Episcopi quando, & quibus primam tonsuram ordinesque minores conferre poterunt. Cap. XLIII.

**N**e Abbates, aut alij etiam baculi, & mitræ iure utentes, aliove eiusmodi privilegio, & auctoritate conferendi minores, munitos, patiatur Episcopus tonsuram, neque minores ordines, id quod Tridentina Synodus vetuit, alijs conferre, quam ijs, qui regulares sunt, et eorum iurisdictioni subiecti, nisi & ipsius Episcopi consensus ante accedat, & illi initiandi à suo Episcopo, vel regulari superiori attulerint literas dimissorias, non generatim, sed speciatim concessas. Nec verò quibusvis Abbatibus id permitti liceat, sed ijs tantum, qui Sacerdotio initiati sunt, & statis benedictionis precibus consecrati.

Sess. 23.  
ca. 10. de  
reforma.  
c. Abbat-  
tis, de  
priu. lib.  
6. Io. An-  
dr. & Do-  
cto. in c.  
cū cōtin-  
gat, de  
stat. &  
qualit.

Qui nisi in recitatione officij Dominici, & Beatæ Mariæ periti fuerint à susceptione ordinum arceatur.

Cap. XLV.

**Q**ui Subdiaconatus ordini adscriptus est, cum statim lege astrictus sit, Canoniarum horarum officium ex Breviarij prescripto recitandi, nemo ad eum ordinem capescendum recipiatur, qui in horarij illius officij, cuius lege deinctus tenatur, rectè, ac ritè recitandi usu peritus non sit. Inferioribus verò ordinibus initiandi, qui nullum beneficium obtinent versati sint, in Beatæ Mariæ officij recitatione.

Clericus, si non seminarij titulo, alio tamen beneficij, vel census, qui alia adueniente provisione extinguitur ad sacrum ordinem poterit promoveri.

Cap. XLVI.

**Q**uod iam vetitum est, nè seminarij titulo, clerico cuiquam Episcopus ordinem aliquem sacrum conferat, id decernimus locum habere nisi cum beneficij seminario vnionis iure adiuncti, & vsui, & cultui ministerium est ab illo præstandum; tuncque certus annuus census constituatur, vnde qui eo titulo ordinem suscepit, sustentari queat Episcopi iudicio.

Nec verò tamen is in illo censu vllum ius habeat, cum primùm aliunde habuerit, vnde itidem vitæ suæ sustentationi Episcopi iudicio consultum, & provisum sit. Quod si aliunde ex parte tantum eius sustentationi provisum sit, tunc extincta censeatur illa census attributio pro tanta parte, quantum ad illam sustentationem aliunde habet.

Quando familiari suo Episcopus sacrum ordinem conferre poterit. Cap. XLVII.

**P**ensionis, & patrimonij, quod quis habet, & bonorum item, quæ perpetuò etiam eo nomine ab aliquo ei donantur, titulo, Episcopus sacrum aliquem



ordinem alicui, etiam familiari suo conferre potest. Idque de familiari, etiam si alienæ diœcesis sit, modò post triennium ab initio familiaritatis, si Ecclesiarum suarum, vel necessitatem, vel utilitatem hoc flagitare iudicavit, ut sacris ille initiatur.

Quando Episcopus sola sponfione suppeditationi victus absque alio titulo sacrum ordinem conferat.

## Cap. XLVIII.

**A**T verò etiam, si quis ei, qui sacris initiandus est, verè spondeat certam cautionem, si quæ ad vitam cultum usui necessario sunt, suppeditaturum, saltem donec ei aliunde provisum sit, huic ob sacerdotum penuriam ab Episcopo sacer ordo conferatur, licet sine alicuius etiam vel beneficij, vel patrimonij titulo.

Quæ circa veritatem patrimonij, seu pensionis constitutæ diligens inquisitio habenda sit. Cap. XLIX.

**A**T verò hæc in primis Episcopus diligentissimè videat, ut pensionem, patrimoniumve illud verè obtineat, ut quæ ea donatio sponfione verè, ac sine fraude, dolore facta sit: eiusque tabulæ, ut ritè, & rectè confectæ sint; utque pensio, patrimoniumve, & quæ dono data sunt, tantum inde census percipiatur, ut satis esse possit, ad illius honestam vitam sustentationem, qua in re omni cognoscenda promulgationes adhibeat, & reliquam diligentiam quarto provinciali Concilio in hoc genere præscriptam.

Quique ordinati, ut supra etiam familiares certæ Ecclesiæ adscribantur. Cap. L.

**V**ideat etiam omnino, ut quemcunque eiusmodi titulis ordinavit, etiam familiarem suum, certam illum Ecclesiæ addicat, ubi ordinis suscepti functiones, ac munera, ut ipsius Concilij decreto cavetur, ipse verè præstet.

Sermo ante ordines qualis habendus sit. Cap. LI.

**E**O sermone, quem pridie illius diei, quo sacra ordinatio celebratur haberi institutum est, illud in primis spectetur, ut quæ monitiones postero die de libro Pontificali leguntur, disertis verbis, ipsæque vulgariter conceptis explicentur verberius. Unusquisque porro eorum, qui sacris ordinibus initiabuntur, etiam atque etiam diligenter admoneatur, quod, quamquam sanctum munus suscepturus est.

Verum eius sermonis vis, in subdiaconis potissimum monendis versetur, quod rectius, dum integrum est, deliberare possint, an castitatem, quæ perpetua illi ordini est annexa, profiteri velint, eoquæ accuratius, propterea in gravi illa deliberatione videat, quid Deo auxiliante præstari posse sperent, neque in eo Ecclesiastico, spiritualiquæ munere suscipiendo, quicquam



agnatorum, vel huiusmodi aliena voluntate, sed sua spontanea deliberatione agant, nec verò in sacri eiusdem ordinis susceptione, vitæ huius commodum, aut aliud quicquam eiusmodi, sed Dei honorem sibi propositum habeant. Huius generis sermo, à quocunq; appositè habetur, utilis ille quidem est, at multis partibus longè utilior erit, atq; opportunior, si eundem Episcopus accuratè, studioseq; habuerit.

Monentur adscripti quomodo functiones suas obire debeant. Cap. LII.

**Q**uicumque clericus, alicui Ecclesiæ adscriptus, ubi ordinis à se suscepti functiones obeat, memor complurium sanctorum, qui vel toto vitæ tempore, vel multis saltem annis, in alicuius etiam minoris ordinis ministerio, munere ve religiosè versati, ad altiorem se ordinis gradum prouehi passi non sunt, eorum recordatione, exemploq; excitatus illud sedulò curet, atque adeo efficiat, vt ordinis, quo proximè initiatus est, præscriptas functiones, non elatè sed humiliter, non rarè sed frequenter, non negligenti studio, sed accuratè, piè, atque ritè præstet. Alioqui si in sanctis ijs functionibus negligenter, contraq; ac præscriptum est, se gesserit: illud norit, eo voluntatis suæ testimonio, sibi apud Episcopum aditum præcludere, ad altiorem gradum ascendendi.

Quales functionum clerici adscripti testimoniales esse debent.

Cap. LIII.

**P**refectus autem, rector ve Ecclesiæ testimonium de clerico facturus, qui functiones in sua Ecclesia obierit, hæc testificationis suæ literis speciatim, verèq; exprimat, quas scilicet functiones, & quamdiu, & quam diligenter, & quam piè, & quam decenter, ritèq; præstiterit.

Iuramentum præstandum, & quædam declarationes circa assignationes patrimonij, & promissiones prædictas.

Cap. LIII.

**N**e quis patrimonij ab alio cuiusvis conditionis homine assignati, aut promissionis titulo, quæ certa cautione de re omni victui necessaria supeditanda facta sit, sacris ordinibus maioribus initietur, nisi præter ceteras superius præscriptas cautiones, illud etiam publico instrumento caueatur, ea certa adiecta clausula, vt vterq; & qui patrimonium assignat, & cui assignatur iureiurando affirmet, id patrimonium verè possideri, obtineriq; ac nihil præterea inesse doli, & fraudis, nullumq; esse eo nomine contractum initum, nullumque promissum factum, nec verò in posterum se aliquid acturos, facturosve esse, quominus clericus, qui initiandus est, assignato patrimonio verè, req; ipsa vtatur, fruatur, proindeque si quid contra actum, gestum, factumve erit, id omne irritum, rescisum, atque planè ipso iure nullum, nulliusque roboris esse velle; si quid autem contra actum erit, ei præterea qui

sacris



sacris initiatus est pœna sit, vt statim ipso facto Episcopi arbitrio, ab ordinibus, quos suscepit munere, functioneque, suspensus sit: nec alijs maioribus ordinibus ascribi possit.

Verùm nē qui patrimonium assignat aliquo timore deteneatur, quominus illud, vel assignet, aut cautione victus, qui clerico sacris sit, prestat, sed quod magis ad id ipsum excitetur, statuimus patrimonium eo nomine assignatum, cautionemque, item, ita ei vsui annecti, vt qui initiatus est, illud patrimonium, aut cautionem alienare, vel remittere nullo modo possit, donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens sit adeptus, vel aliunde habeat vnde viuere possit. Sed nec delinquendo amittere, vsq; adeo, vt ne grauis quidem criminis, quod ille admiserit, causa prescribi, nec fisco applicari queat: sed ad eum, qui assignauit, donauit, cavitque, & ad eius heredes, aut ad alios, qui ab intestato clerico initiato succederent ipso iure redeat.

## DE OFFICIO SACRISTÆ.

Sacrista his intendat, quæ sequuntur. Cap. I.



**S**ACRISTA habeat custodiam sacrorum vasorum, vestimentorum Ecclesiasticorum, & totius thesauri Ecclesiastici.

Vasorum, vestimentorum, instrumentorum, & ornamentorum omnium altarium, & reliquorum omnium munditiæ, nitiditque, consulat.

Eiusdem curæ sint lumina, cera, & oleum, vinum, hostias, candelas, & cereos, ceteraque, à Sacristia necessaria ad diuina officia præparet.

Aquam benedictam singulis hebdomadis, uel etiam sæpius, si opus erit, ipse renouet; uel ab alijs renouandam curet.

Altare maius, & omnia alia, præcipuè diebus festis, decenter ornet.

Hora congrua ipse, uel alius eius uice, campanæ sono det signum matutini, missæ, & aliarum horarum canonicarum.

Habeat in Sacristia tres tabellas; vnã in qua omnes missæ, & officia pro mortuis, & reliqua descripta sint, quæ ex imposto onere, ac munere, quacumque de causa in ea Ecclesia celebrari oporteat: alteram, in qua vniuscuiusque dignitatis, præbendæ, cappellæ, altaris, seu alterius beneficii, & alijs diuinis officijs eius Ecclesiæ in missis, & alijs diuinis officijs obeundis debita munera contineantur; tertiam quam supra diximus à magistro chori faciendam esse. Curetque, vt quæ tribus his tabellis prescripta sunt munera, à quibus debet omnino præstentur.

Eiusdem officium erit operam dare, vt è Sacristia sermones de inanibus, profanisque rebus, multoque magis iurgia, rixæ, & turbæ omnes arceantur.

Laicos ibidem versari ne patiatur.

Nemini permittat, vt sacris vestibus induatur; nisi tunc, cum ei missa celebranda sit.

In ijs,



*In ijs, qui primo, qui secundo loco, qui deinceps missam celebrare debeant, ordinem tabulæ seruandum curet.*

*Siquis autem suo tempore præsto non fuerit, vel ei, quem absens suo nomine substituerit, vel proximo post absentem, suo arbitrio, missæ locum det.*

*Duobus autem ad summum, potestatem faciat eodem tempore parandi se ad missæ celebrationem.*

## C A P. I I.

**S**acrifitia vnaquæq; habeat, quæ sequuntur.

*Primo armarium, uel uestiarium unum, plurave ad indumenta conseruanda, instructa suis capsulis, aut loculis, aliove modo, opereve multipliciter, ordineq; distincta, pro Ecclesiæ ratione, uel suppellectilis copia.*

*Tum præterea oratorium separato, quantum possit, loco positum, atque disiunctum: ubi possit Sacerdos in solitudine se colligere, & orare ante, & post missæ celebrationem.*

*Labellum item cum manutergio appenso, ad manus abluendas, & abstergendas.*

*Tabulam etiam de orationibus, sacro unicuiq; indumento accommodatis.*

*Tabellam quoq; appensam, in qua, & missæ, & anniuersaria singula, ordine notata sint: quæ vel ab uniuerso illius Ecclesiæ Clero, uel ab vnoquoq; in singulos dies, hebdomada sive peragi, præstariue debent; Ac reliquas item tabellas, Episcopi iussu confectas.*

*Sit in Sacrifitia item tabella, in qua singuli Episcopi, qui Ecclesiæ illi præfuerunt, notata temporum ratione descripti sint; ut frequentius Sacerdotes commeminerint pro illis preces, & sacrificia offerre.*

*Vestes autem sacræ, ceteraq; ornamenta, uolumina item Ecclesiæ usui, ministerioq; addicta, ac reliqua Ecclesiastica suppellex, & Parochiales ite Codices in Sacrifitia certis armarijs, rectè, atq; ordine afferuentur. Nec uerò sordibus, situ, squallore, puluereq; obsordescant; sed quoad eius fieri potest, ab omni sorde, & inquinamento pura omnia, & singula sint, ac integra: ac nullo præterea modo lacera, sed sacra, tecta, nec malè compacta.*

*Baptisterij, Sacrarij, Tabernaculi, Lunulæ, Vestium, aliarumq; eiusmodi rerum forma, instructionum libro demonstrata, in Ecclesiæ Cathedralis Sacrifitia ponatur: ad cuius similitudinem reliquæ, quæ in alijs Ecclesijs adhibentur, rectè confici possint.*

*In Sacrifitia ipsa silentium seruetur accuratè: neque in eam pateat aditus laicis, nisi necessariò.*

*Ecclesiæ dicata nè in profanos vsus concedantur, sed cautè oblerentur. Cap. III.*

**C**auent Ecclesiarum rectores, alijve ministri, nè aulea peristromata, tapetia, aliaq; suppellectilis, & ornamentorum genera Ecclesiæ, aut Sacrifitia addicta, ad domesticum vsum vllò modo vnquam adhibeant: nec uerò

alijs



alijs vtenda dent. Vestes autem sacræ & aliaq̄, indumenta, Missæ diuinorumq̄, officiorum cultui dicata, in vulgus cuiquam exposita ne sint, sed armario, ve stuarioq̄, inclusa, claue obserentur.

Tabella missarum habenda. Cap. IIII.

**T**abella, in qua certa omnis missarum celebrationum distributio, dies scilicet, hora, & altare, tum Sacerdos, qui celebrare debet, aptè descripta appareat, in Sacristia loco conspicuo proposita, atq; affixa sit.

Aliqua censura irretiti qualiter tabella, & aliter publicandi.

Cap. V.

**I**beat Episcopus in omni Sacristia certo conspicuo loco tabellam affigi, in qua eorum qui interdicti, aut excommunicationis vinculo irretiti sunt, nomina, & cognomina rectè descripta in omnium conspectu sint, vt & si quæ doq̄, fortasse præsentibus sint, à diuinis officijs, Ecclesiæq̄, eijciantur; & si contra nostrum decretum in ea censura præstiterint, in singulos menses ad eiusdem præscriptum de more denuncientur. Illorum præterea singulorum nomina, & censura item, qua affecti sunt genus, octo post diebus, quam interdicti, excommunicatiue sunt, ad regulares quoq; mittantur, vt cum istis ipsi etiam agant ad præscriptum constitutionis, quam summus Pontifex Bonifacius Octauus eo de genere edidit, quod si contrafecerint, pœnas subibunt ea ipsa constitutione sancitas.

## DE OFFICIO CUSTODIS.

Custos, quæ sequuntur diligenter obseruet. Cap. I.



**C**USTOS Ecclesiæ, vel quicumque alio nomine id negocium curant, obseruent diligentissimè, & clericos, & laicos, contra decorum, & honestatem Ecclesiæ delinquentes; eosque sui officij moneant, ac si non respuerint, ad chori præfectum, vel Episcopum deferant.

Omnia, quæ Ecclesiarum honestati, ornamento, decoreve officere possint, prohibeant, & arceant.

Neve quemquam noctu in Ecclesia morari sinant.

Maximè autem vigilant, nè altaria spolientur, aut quidquam ex Ecclesia surripiatur.

Quales in Parochialibus Ecclesijs habendæ sint Campanæ.

Cap. II.

**P**AROCHIALIS Ecclesia, si campanas tres, grandiore scilicet mediam, & minimam habere non possit, saltè duas, vbi fieri potest habent;



habeat; easq; distincto soni concentu inter se rectè consentientes, pro varia diuinorum officiorum, quæ sunt ratione, & significatione.

**S**implex Ecclesia, oratoriumve, vnam tantum campanulam habeat, vt Iohan. 12. Pont. constituit.

Quid in campanis inscribi debeat. Cap. IIII.

**C**ampanis autem ipsis res nulla profana deinceps insculpatur, inscribaturve, sed crux, & sacra aliqua imago, vt potè sancti Patroni Ecclesiæ, piave inscriptio.

Campanæ sunt consecrandæ. Cap. V.

**N**eque rursus ea in turrim campanilem sustollantur, antequam ab Episcopo ritè precibus, ac benedictione consecrata sint.

Certus modus in pulsatione campanarum per Episcopum committendus. Cap. VI.

**E**piscopus pro temporum ratione, ac vicissitudine certam horarum, certumq; interuallum pulsandis campanis præscribere curet, quibus diuinorum officiorum significatio detur. Quæ certa interuallisq; distincta pulsationis ratio in tabella edita ordine notetur, vt & Urbanis, & diæcesanis Ecclesijs vsui rectè accommodata, vbique eadem ad præscriptum eiusdem Episcopi seruetur.

Vestes sacre illius coloris quem rubricæ requirunt in celebratione diuinorum habeantur. Cap. VII.

**S**icut Sancta Mater Ecclesia pro temporum, officiorumq; ratione, sacrum vestium apparatus, ornatumq; coloribus distinctum esse voluit; ita quemadmodum etiam Missalis Romani rubrica præscribit, in omni Ecclesia, & altare, & Sacerdos celebrans, siq; solenniter fit, Diaconi etiam, & Subdiaconi, & alij eiusmodi ministrantes, sacro vestium amictu, vt pro Ecclesiarum facultatibus fieri potest, induantur; qui colore distinctus, diuinorum officiorum ritui, & temporum rationi conueniat.

Quibusdam diuinorum celebrationibus cantores laici quales esse, & incedere debeant. Cap. VIII.

**C**lerici desunt, qui cantorum in diuinis officijs partes præsentent, ita vt laicos homines ad id muneris aliquando mercede conducere, adhibereve necesse sit; tunc ij non solum in Missa solenni, & diuinis officijs, id quod in multis Ecclesijs vsu seruetur, sed & in processionibus, & in funeralibus, & in alijs Ecclesiasticis actionibus, ad quas, vel in Ecclesia, vel foris adhibentur, cuius munus gerunt, habitu clericali superpelliceoq; decenti utantur: vitæ præterea, & moribus ab Episcopo, scripto ante probati sint. Nec verò

contra



contra quam præscriptum est, cuiquam laico in Ecclesia musici munus illis diuinis, Ecclesiasticisve officijs, aut in Ecclesia, aut foris concelebrandis committatur: nec rursus ille suscipiat, geratve, pœnis multisve propositis arbitrato Episcopi.

Qui contrauenientes prædictas pœnas luent. Cap. IX.

**E**A S autem pœnas luat, tam qui susceperit, quam qui commiserit, dederit, conduxerit, permiseritve: quicumque sit, siue Capitulum, siue fabricæ administratores, siue rector Ecclesiæ, siue Confratria præfecti, siue alius quispiam, ad quem id pertineat.

Qualiter consuetus tridui hebdomadæ sanctæ strepitus sit

edendus. Cap. X.

**T**Riduo illo hebdomadæ sanctæ, quo ex sanctæ Ecclesiæ consuetudine strepitus, & fragor fieri solet, ad significandam in Iesu Christi passione, illarum rerum omnium commotionem, is semel tantum, post extremam matutini officij orationem adhibeatur, ad rubricæ præscriptum.

Cura verò sit eorum, qui Ecclesijs præsent, ut à populo religiosa p̄, merentisq; animi meditatione, ille fiat.

## DE OFFICIO OSTIARII.

### C A P. I.



**O**STIARIUS fores Ecclesiæ custodiat.

Ecclesiam suo tempore elaudat, & aperiat.

Infideles, hereticos, excommunicatos, & alios, quibus iure interdictum est, ab Ecclesia arceat, & eiciat.

Ne populum propius ad Sacerdotem, rem diuinam facientem accedere patiatur.

Campanas pulset.

In Ecclesia dormientes, vendentes, ementes, deambulantes, colloquētes, alia ve ratione officia diuina perturbātes, & quouis modo indecorē, atq; irreuerēter se habētes, moneat; si pertinaces sint expellat; aut ad superiorē deferat.

Mendicantes excludat.

Ecclesiam verrendam curet.

Bruta deniq; canēsve expellat; quidquidve in Ecclesia dedecet, amoveat.

**C**lericorum sit ostiarij functiones in Ecclesia Cathedrali obeuntium, Ecclesiasticos homines supplicationum processionumve causa in certum locum congressos, si quos vagantes deambulantes, colloquentesve animaduernerit, Episcopi auctoritate prohibere; tum etiam contumacium nomina ad eundem deferre.



## DE OFFICIO LECTORIS.

## CAP. I.



**L**ECTOR in Ecclesia Prophetias, quæ in missa legenda sunt, & lectiones pronunciet, quæ ex veteri, & nouo testamento in matutinis dicuntur.

Pueros, si ita Episcopo videatur, prima fidei rudimenta doceat.

## DE OFFICIO EXORCISTAE.

Quæ imprimis curare, & cauere debeat exorcista. Cap. I.



**N**EMO energumenis manus imponere, aut causa eijciendi Dæmones exorcismos legere audeat, nisi exorcista ordine sit initiatus.

Is exorcismos memoria mandare studeat, idq; ex libris, Episcopi iudicio comprobatis, & cum res postulauerit, vel eo munere fungi oporteat, id ne agat; nisi consulto, & consentiente Episcopo.

Episcopus autem nemini, ne Sacerdoti quidem permittat, vt id munus exequatur: nisi eius ætatem, & mores probarit.

Caveat etiam, ne intercedat vllus in exorcismis quæstus, neve vlla curiosa percunctatio, præsertim, quæ ad diuinationem pertineat.

Licentia exorcizandi prius ab Episcopo impetranda.

## Cap. II.

**N**E Sacerdoti, clerico ve seculari, aut regulari, exorcismum energumenis adhibere liceat, nisi is exorcizandi facultatem, scripto ex ætate ab Episcopo impetrarit.

Quam facultatem, vbi quis probatus obtinuerit, hæc, quæ mox infra ordine præscribentur, accuratè seruet, atq; exequatur.

Quæ ab exorcista sint prius inquirenda. Cap. III.

**A**NEQUAM exorcizare aliquem aggreditur, perquirat in primis, energumeni, energumenæve vitam, ac mores, tum exploret actiones, & medicum, si expedire censuerit, consulat, adhibeat ve, vt videat, an quod ab illo, illave agitur, fiat morbi alicuius, aut bilis atra vi, an verò sponte, ac dissimulanter, an deniq; demonis malorumq; spirituum vexatione.

Videat item, an ille excommunicationis vinculo irretitus vnquam fuerit, anq; absolutionem ritè acceperit.



## Manus à munere excutiat. Cap. IIII.

**I**N hoc exorcizandi munere, cuiusve occasione non modò questum fugiat, sed ne doni, aut muneris quicquam, vel minimum capiat.

## Quo loco, &amp; quibus præsentibus fiat. Cap. V.

**N**E in adibus laicalibus, locisve priuatis, sed in Ecclesia, loco aperto, & conspicuo, neque in omni quauis Ecclesia, sed in ijs solùm, quas certas Episcopus statuerit.

Neque in conspectu multitudinis, non remotis tamen arbitris, sed præsentibus viris honestis, atq; atate grauibus, in ijsq; vno saltem, vel duobus Ecclesiasticis hominibus.

## Quos mulieri energumena dum exorcizatur adhibeat. Cap. VI.

**M**ULIERI autem energumena cum exorcismum adhibet, id præstet, duobus atate, vitaq; probatis viris, tum fæminis etiam, itidem probatis, præsentibus, ijsq; omnibus si fieri potest, energumena consanguineis, aut affinibus.

## Prosequutio prædictorum. Cap. VII.

**M**ARES, aut alios præsentis adesse ne omnino patiatur; nisi vnum Ecclesiastici ordinis hominem.

## Quando, &amp; qualiter fieri debeat exorcismus. Cap. VIII.

**N**E ante ortum, nec verò post occasum solis quemquam exorcizet. Ne duos simul eodem tempore, sed vnumquemq; sigillatim, ac separatim. In huius muneris functione, grauitè, piè, & religiose in primis se gerat.

## Præparatio opportuna exorcistæ. Cap. IX.

**Q**uamobrem pridie illius diei, quo alicui exorcismum adhibere inceperit, se ieiunio, & oratione præparare studeat. Tum confessus, conscientia ab omni culpa, pura, ac munda, magna cum humilitate, & fide, memor potestatis, quam à Domino acceperit expellendi demones, ad id munus obendum accedat.

## Missæ sacrum à quibus prius faciendum. Cap. X.

**S**I Sacerdos autem est, antequam exorcismum inchoet, missæ sacrum faciat, si id commodè præstare potest.

## Prius conscientia energumeni expianda. Cap. XI.

**E**nergumenis verò exorcismum ne adhibere incipiat; nisi illi primum cogenti conscientia discussione confiteantur.



## Monitiones energumenis faciendæ. Cap. XII.

**T**V M sæpè moneat, vt precibus, orationi, & sanctis meditationibus, & pietatis studijs, atque exercitationi se dent; religiosas Ecclesias, vbi sanctorum reliquia recondite sint, certis diebus pie visitent: ieiunia pretereà, & in sexta quaque in primis feria, quo die passionis Iesu Christi Domini memoria recolitur, religiosè amplectantur.

A quo contactu cauere debeat exorcista, sui, & altaris.

## Cap. XIII.

**C**Aueat dum exorcizat, nè energumena mulieris capiti, corporive, nisi cum magna honestate, atque cautione manum adhibeat; nè ve energumenam ve altari imponat, nè ve quicquam aliud agat, quod offensionem præbeat.

Ad formam libri comprobati exorcismus fiat, eiusque regulæ tabella descriptæ habeantur. Cap. XIII.

**N**E alijs verò exorcismis, precibus ritibusq; ad id munus vtatur, nisi ad libri à Santa sede Apostolica comprobati rationem præscriptam. Cui nihil ab eo addi, detrabi, aut mutari fas sit.

Præscriptas regulas, quò diligentius seruet, tabella descriptas, eo loco sibi proponat, vbi potissimum id munus geret.

## Exorcistæ in ieiunijs exercentur. Cap. XV.

**E**Xorcistæ munus, cum sit energumenis manum imponere, à quibus, vt mali spiritus eiciantur, ieiunia, & orationes Christi Domini testimonio adhiberi iuuat: eos porro clericos, qui in exorcistarum numero adscribentur, vel hoc officium exercent, curet Episcopus in ieiunijs, & orationibus frequentius se se exercere.

## DE OFFICIO ACOLITHI.

## CAP. I.

**A**COLITHVS, Subdiaconos, & Diaconos, ad altaris obsequium affectans, eis inserviat.

Lumina accendat, & defferat.

Vrceolos vini, & aquæ ad missæ sacrificium paret.

Qualiter Acolithi, ad comitatum Episcopi restitui debeant. Cap. II.

**V**T Acolithi munus, quod præter ceteras functiones fuit, Episcopum comitari, ad eam ipsam functionem, aliqua ex parte restituatur, curet Episcopus clericos, quos in eo ordine adscripserit, eam in loco, vbi ipse, aliquando

D præstari,



præstari, ut opus esse censuerit, præsertim, cum ad aliquod Episcopale munus obeundum accedit. Si quæ complures eiusdem ordinis sunt, rationem certam ineat, ut per regiones distincti, in orbem id muneris præsentent.

## DE OFFICIO THESAURARII.

Distributiones, pœna Thesaurario iniuncta, ritè fiant. Cap. I.



**THESAURARIUS** Capituli, siue alius quocumque is nomine dicatur, qui quotidianas distributiones partitur, curet ipsas vnicuique distribuendas pro rata parte laboris, & officij ex iuris, & nostrarum, & prouincialium Constitutionum præscripto, & ex ordine librorum punctatoris.

### C A P. I I.

**I**S distributiones eorum, qui absentia, vel errati causa notati fuerint, ne persoluat, si id fecerit tantundem de suo det, quod in Ecclesia vsus confertur, & ob eam causam etiam vnus mensis distributiones amittat.

## DE OFFICIO MANSIONARIORUM, siue Cappellanorum.

Quæ agere, & cauere debeant Mansionarij, seu Cappellani, & qualiter eisdem prouidendum sit. Cap. I.



**MANSIONARIJ** siue Cappellani, qui chori sunt quasi quedam columna, totum ferè horarum, ac diuinorum officiorum pondus sustinentes, munus suum accuratè obeant.

Cum oportuerit, ad lectorile accedant, ut Antiphonas, Responsoria, Gradualia, & alia huius generis canant.

Solennibus festis diebus, & quoties opus erit, pluuialia induant, nisi alij nominatim huic officio præfetti sint.

Si muneri suo defuerint, illius horæ, in qua non satisfecerint, distributione priuentur, & alij eius arbitrati, qui choro præsidet, illorum officij partes suscipiant.

Iidem, ut muneri suo commodius satisfacere possint, ab ijs oneribus liberentur, quibus ad chori vtilitatem, magistri ceremoniarum, & eius qui choro præsit, arbitrio leuandi videbuntur, neque quo tempore diuina officia in choro sunt paruam Missam celebrent, nisi necessitas postularit.

Eisdem Episcopus honestum stipendium constituendum curet, quod, si illis etiam dantur distributiones, eodem tempore, quo Canonici, pro officij, & laboris modo eas percipiant.



Duo ex prædictis qualiter, & ad quod opus singula hebdomada deligendi sunt, & contumaces quomodo puniendi.

## Cap. I I.

**E**X Mansionarijs siue Chori Cappellanis duo in singulas hebdomadas deligantur, idq; in orbem fiat, nisi aliud probatus Ecclesiæ mos requirat.

Horum alter officium ordiatur, & perficiat, consistens in medio choro, vel ad lectorile, quod ab ea parte sit, ubi is fuerit.

Alter Psalmorum tonum instituat pro tempore, & Antiphonarum, que ubi legendæ fuerint, ab ipso tantum, vel solum ab alio legantur, nisi id munus aliquis ex pueris seminarij adimpleuerit. Diebus vero festis, in decantandis Antiphonis, Canonicis, & alijs voce præeat: & quæ cantanda, vel legenda sint, ipsis indicet, is antequam officium inchoatur, chorû ingressus, libros præparet, Missam, Psalmos, Antiphonas, & alia, que usus requisierit inueniat.

Mansionarij siue Cappellani in suo munere contumaces, vel negligentes, pro modo culpæ, iudicio eius, qui choro præsit, distributionibus careant.

Qualiter prædicti, & his similes cooptari debeant etiam suffragijs Canonicorum. Cap. III.

**C**VM de mansionarij, aut alterius Ecclesiæ ministri, qui Canonico inferior est, cooptatione agatur, is etiam præscripta Canonicis cooptatione, à capitulo Canonicorum probetur; Cui probationi quatuor, pluresve, eiusdem ordinis ministri, à præfecto capituli peritiores delecti, interesse possint, quorum de eo cooptando sententiam capituli præfectus rogabit; tum illis remotis de approbatione, aut reiectione capitulum decernet, suffragijs occultè latis.

## DE OFFICIO PUNCTATORIS.

Punctator habeatur, qui iuret, omnesque rectè notet.

## C A P. I.

**P**UNCTATORIS creandi, morem in omnibus Ecclesijs Cathedralibus, vel Collegiatis retineri iubemus.

Is in mensem, vel in aliud certum tempus pro cuiusq; Ecclesiæ consuetudine à capitulo constitutus, iuret, se in officio suo obeundo fidem, ac diligentiam præstiturum.

Studiosè exploret, & in libro punctationum notet omnes, quicunq; ñ fuerint, qui sacras horas, & diuina officia nõ obierint; quiq; contra, q̄ his, alijsve nostris siue provincialibus constitutionibus præscriptum est, in choro quidquã fecerint, qua in re is ullius non odio, non amore, non spe, non metu moueatur.



Non ritè notans in quam pœnam incurrat. Cap. II.  
**S**I aliquem iniuria notarit, de suo ei satisfaciât; si verò notandum prætermiserit, de suo item tantundem det; quod in Ecclesia vsus conuertatur; & integras vnius hebdomadæ distributiones amittat.

Liber punctationum qualiter custodiendus, & ostendendus, & punctator diuinis interfit; aliter quomodo prouideatur, & in quam pœnam incurratur. Cap. III.

**L**ibros punctationum diligenter custodiat, & Episcopo quoties voluerit, & capitulo singulis mensibus exhibeat. Quo tempore is in officio punctatoris permanserit, sacris horis, & officijs omnibus interfit; nisi absit de eius licentia, qui Choro præsidet; quo tempore alium, ab eodem chori præfecto probandum, substituât, qui suo muneri satisfaciât: si secus fecerit, pro singulis vicibus vnius diei distributionem amittat.

Quando alter ab Episcopo adhibeatur punctator, qui eadem quæ supra præstet, libriq; conferri debeant, & qualiter omnis controuersia tolli. Cap. IIII.

**V**T autem hoc officium melius exerceatur, neminiq; aliquid iniuste, aut remitti, aut adimi possit; præter delectum à Capitulo, alter punctator ab Episcopo creetur, si ita ei expedire iudicauerit.

Is, suprascripto iureiurando apud Episcopum præstito, altero in libro omnes, qui suo muneri defuerint, notet.

Singulis hebdomadis ambo punctatores libros inter se conferant: & si qua in re discreparint, Episcopus, vel eius Vicarius illico omnem eorum controuersiam sine vlla forma iudicij, sublato quocumque etiam appellacionis impedimento, dirimant.

Episcopus deligat ad id punctatoris officium, quem voluerit, idoneum clericum.

Eidem Episcopo facultas sit, de eâ Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia, in qua punctator creandus sit, omnes, quoscumque libuerit, propositis pœnis suspensionis à diuinis, & alijs suo arbitratu cogendi, vt id munus suscipiant, & obeant; si malitia Canonorum hac diligentia indigere Episcopus iudicauerit.

Iuramentum per punctatores etiam à Synodo diocesana præstandum est. Cap. V.

**Q**uod de punctatorum iureiurando supra sancitum est, id & ab iisdem, & vnoquoque item punctatore, qui vel festi diei, vel funeris, vel anniuersariorum, vel processionum, vel aliorum deniq; diuinorum officiorum causa, etiam in Collegiatis, alijsve Ecclesijs, constitutus est; præstetur, non modo cum punctatoris officium suscipiunt, verum etiam in publica diocesana

Synodo



Synodi conuentu, qui habebitur, dum ipsi id officium gerunt; quo religiosius vnusquisque eorum excitetur ad debitum in munere suo obeundo diligētiam, officium, cum fidelitate coniunctum adhibendum.

Pœna non iurantis. Cap. VI.

**S**I quis autem punctator non iuratus, id munus inierit, aut gesserit, mul-  
tetur pro modo culpæ Episcopi arbitratus.

Quanto tempore eorum duret officium. Cap. VII.

**V**Niuscuiusque punctatoris officium, ac munus deinceps trimestre sit; quod tempus ab Episcopo, & ab capitulo, suo cuique punctatori, pro-  
rogari liceat.

Errata quorumcumque notanda. Cap. VIII.

**P**unctatorum, quos Episcopus, capitulumq, constituerit cura, & offi-  
cium sit, tum capituli vniuersi, tum vnuscuiusque dignitate præditi,  
canonicive absentiam, & errata notare.

Punctationes distinctè pro absentia, & erratis faciendæ.

Cap. IX.

**V**Nusquisque eorum, quod ad notandi rationem attinet, in ijs omnibus, &  
singulis, quæ in nostris decretis, eo de genere præscripta sunt, sui mune-  
ris, curæq, partes præstet.

Accuratè in primis, rectèq, notet, non eos solum singulos, qui statis Cano-  
nicis horis à Choro absuerint, verum etiam vnumquemq, contra nostrorum  
decretorum præscriptum in Choro, in processionibus, in funeralibus, diuinisq,  
alijs officijs errantem, peccantemve.

Quando ad Canonicorum præsentium absentia, & errata referri, &  
controuersia à præfecto Chori si valeat, aliàs à Vicario  
Episcopi decidi debeant. Cap. X.

**V**Nusquisque præterea punctator singulis diebus, cum diuina officia  
peracta sunt, quos pro absentia, aut errorum ratione in Choro no-  
tarit, eos præfecto Chori, presentibus alijs de capitulo, qui eo loco tunc ad-  
fuerint, in Sacristia, aliove loco, vbi superpellicea, Canonicalesve cappas, &  
induunt, & exuunt, cum primùm ed Clerus, collegiatim à Choro redierit, no-  
minet, errataq, singula exponat. Si quis verò erit, qui aliquam absentia  
sua, alteriusve facti causam asserat, quamobrem se contra præscriptas regu-  
las quicquam non egisse, admisisseve; nec propterea absentia, vlliusve errati  
pœnam commississe putet; id tunc Chori præfecto corā punctatoribus planè si-  
gnificet. Nec uerò si punctator contradicat, is cum illo nõ modò non cõtendat,



neque Verbum vllum commutet, sed ne respondeat quidem: immò verò statim inde secedat. Præfectus autem cæteris præter punctatorem, se moris, de re tota deliberet; atq; si ita planè rem se habere manifestè compererit, nullam, vel absentia, vel errati culpam ille commiserit, illius punctationem in Choro notatam, deleri iubeat. Si verò ita sanè non confiterit; in librum punctationum omnino referri mandet. Quod si qua, vel difficultas, vel ambiguitas erit; Vicarius Episcopi consulatur, qui totam rem statim sine forma iudicij, liberè arbitrato suo statuatur, vt iam est sancitum.

Sin autem hæc, notatos, errataq; in Sacristia, aut alibi Canonicis, Capitulo nominandi, seu exponendi ratio, aliquid vel incommodi, vel turba, vel dissensionis, vel rixæ, offensionisve afferat, vt punctatores ipsos, ab officij sui libertate deterreat; Episcopo integrum sit, illam omittere, rescindere, atque abrogare, & vt magis expedire censuerit.

Quos alios etiam punctator notet. Cap. XI.

**P**unctator præterea, qui vel idem, vel alius sit, ab Episcopo constituatur, cuius officium erit, singulos mansionarios, Capellanos, Sacristas, custodesve, aliosve Ecclesie ministros, Chori officijs adstrictos, qui statis horis ab illis abfuerint, qui ve contra nostras ordinationes, aliave, vt supra, errata commiserint, diligenter obseruare, eosdemq; in Choro quam primum notare.

C A P. XII.

Supra  
fatis di-  
ctum.

**H**IC item punctator inuet; officium tribus mensibus gerat; absentes, & errantes obseruet, notet; notatosq; in Sacristia nominet: & statim in libro punctationem seruet; & in suo munere cetera omnia, qua alijs punctatoribus præscripta sunt præstet.

Quando dictorum librorum collationes, supputationesq; faciendæ, & subscribendæ erunt. Cap. XIII.

**S**ingulis hebdomadis, vt est supra decretum, punctationum suarum libros conferant inter se punctatores illi, quorum alter ab Episcopo, alter à Capitulo delectus est: ex qua collatione, tum quicquid pro sua quemque personalis in Choro residentia munere præstitisse; tum rursus, pro absentia, errorumve ratione, quoties officio suo defuisse, diligenti punctationum supputatione facta, constiterit, id firmum ratumve vsque adeo sit, vt eo collato, in singulas hebdomadas calendo, tribus primis vniuscuiusque mensis diebus canonicalis ministerij, aut opere, quam quis in Choro præsens, mense proximo superiori rellè, & ritè obierit, certa, firmaq; supputatio, à præfecto Chori, & à punctatoribus constituatur, qui præterea eo nomine constituti illi supputationi subscribant.

C A P. XIII.

Supra  
idem c.  
10.

**E**AM verò cautionem punctatores adhibeant, vt cum in libris conferendis aliquid compertum esset, quod vllò quouis modo discreparet; antequam illa



quam illa punctationum, distributionumve supputata ratio constituatur, quæ stata, firma, & subscriptione munita sit, Episcopum, aut eius Vicarium consulant; qui sine ulla forma iudicij, omnem controuersiam dirimat.

Qualiter reddituum capitularium totius anni supputatio facienda sit. Cap. XV.

**A**D certam illius collatæ, & constitutæ supputationis rationem, mense Octobri, aliove singulis annis, omne, quod ex communi Capituli censu habere quis debet, rectè pro unicuiusque Ecclesiæ more supputetur. Cui supputationi, calculove, præfectus capituli, & alter Chori, item punctatores, caneparius capituli, & si ita capitulo videbitur, duo item alij, à capitulo delecti, præsentés adsint.

Vid. d.  
c. 23. §.  
vlt.

Quæ cautio in dicta supputatione habenda sit, & qualiter subscribenda sit. Cap. XVI.

**I**N eo omni calculo cautio omnino sit, ut unicuique verè detrahatur, quod detrabi par est, pro ratione dierum, & horarum canonicarum, quibus à Choro, diuinisq; officijs abfuerit: nisi illum, ijs causis abfuisse contigerit, ob quas Tridentina sanctione, Constitutionibusq; Prævincialibus quis licet absens, in præsentibus tamen censetur.

Tum detrahatur item pro ratione erratorum si quæ ille commiserit.

Huius supputationi ita initæ, ac detractæ, præfectus capituli, & item Chori, & illi duo à capitulo delecti, ac punctatores item subscribant.

Cui & cur prædicta supputationum scripta ritè obsignata tradi debeant. Cap. XVII.

**T**Abulæ verò, syngraphæ, aut scripta huius sic initæ, & subscriptione obsignatæ supputationis, thesaurario, Canepariove Capituli tradantur, ut, quod unicuique debetur, statis temporibus, pro illius constituti calculi ratione persoluat. Aut eidem consentienti, quantum quisque pro illius supputationis ratione, habere, capereve debet: tantundem cedat è communi residentiæ censu.

Ne ante statuta tempora distributiones persoluantur.

Cap. XVIII.

**N**E Capitulum, aut Thesaurarius, Canepariusve Capituli, aliusve quicumque, qui distributiones paritur, cuiquam de Capitulo, alijve Chori ministro, etiam qui præsens diuina officia obierit, nè eo quidem nomine, quod distributiones iam suas, residentiæ munere cum fecisset constet, ante statuta solutionis tempora persoluat, uel eo nomine cessionem alicuius exactiois ante faciat.



Ne item, nisi recepta syngrapha ritè subscripta, soluantur.

Cap. XIX.

**C**UM verò solutionis stata dies venerit; ne cuiquam item soluat, cedatve, nisi tabellam illam, syngraphamve acceperit, cui à præfetto Capituli, & à Præfetto item Chori, & à punctatore etiam Episcopali, & ab altero item Capitulari, & alijs præterea duobus subscriptum sit, si que supputationi Capitulum constituerit: ac præterea, nisi mandatum solutionis, cessionisve, à præfetto capituli acceperit, ab aliove, ad quem de more spectat.

Prædictis contravenientes, quibus pœnis afficiantur.

Cap. XX.

**S**I verò plus soluerit, vel cesserit, quàm supputationis ratio tulerit, aut ante soluerit, cesseritve, quàm certè illis supputationis syngrapham subscriptione, vt supra obsignatam acceperit: vnus mensis distributionibus, & alijs arbitrarij Episcopi multis Sacristis, aut sodalitati Corporis Domini in ea Ecclesia constitutis, alijsve pio loco attribuendis, plectatur. Quibus pœnis multisve præfetus etiam Capituli, & Chori item, & punctatores, atque ad supputationem ita delecti, illi duo Capitulares, qui eiusmodi solutione, cessionive villo modo assenserint, afficiantur.

Quam multam, pœnamq; ijdem subeant, si alio quouis modo in eo assenserint, vt cuiquam solvatur, cedaturve distributio aliqua illorum dierum, aut horarum canonicarum, officiorumve, quibus, vel præsens ille in choro nõ adfuerit, vel erratum huiusmodi in diuinis officijs contraxerit, vt nostris decretis, aut alio quocunq; iure censeari in absentibus debeat.

Recipientes vltra debitum scienter, qualiter plectendi erunt.

Cap. XXI.

**Q**UI verò, vel ante solutionis, cessionisve, & syngrapha tempus, vel plusquam sibi debeat villo quouis modo pœnè scienter acceperit; is ab Episcopo, & restituere cogatur, & triplo multetur, quod locis pijs eiusdem Episcopi arbitrarij attribuat.

Quacunq; causa, & si de aliorum non tamen Episcopi consensu contra prædicta aliquid recipiens totum restituar.

Cap. XXII.

**S**I verò vlla cuiusvis generis causa, causave specie, aut pretextu cuiquam distributiones, aut ab vniuerso Capitulo, aut ab eorum singulis contra nostra decreta, & præcepta dari, donari, remitti, aut quavis collusione concedi, sine consensu Episcopi contigerit; ne illas quisquam capiat; si per ceperit, retinueritve, ne suas faciat; sed restituere cogatur.

Prædicta



Prædicta pro capitularibus, etiam locum habeant pro aliorum inferiorum distributionibus.

## Cap. XXIII.

**H**æc omnis ratio in supputatione, & solutione distributionum Capitularium supra præscripta, pæneq; ibidem proposita: locum etiam habeant in quouis distributionum censu, qui ad mansionarios, sacristas, custodes, aliosve Chori ministros, & inferiores Canonicis, quocunque nomine nuncupatos pertineat.

Itidem ut supra, de eorum ipsorum punctatoribus, Thesaurarijs, caneparijs, aut si quos à capitulari censu, Thesaurario, canepariove, & punctatoribus distinctos habuerint, decretum sit. At loco eorum duorum, qui de Capitulo ad supputationem adhibendi sunt, alij itidem duo, ex ipsis inferioribus Chori ministris, distributionum censum, à Capitulari, Canonicaliue separatè habentibus adhibeantur; ijq; ab iisdem, ad quos census pertinet, eligantur.

## DE OFFICIO MAGISTRI CHORI, & cęremoniarum. Tit. XX.

Quæ à magistro cęremoniarum agenda sunt, & quæ suis ordinibus contrauentium pœna.

## Cap. I.

**C**HORI, vel cęremoniarum Magister, siue alio huiusmodi nomine appelletur, qui diuinis officijs celebrandis tanquam magister est, denunciet officium simplex, vel solenne celebrandum.

Quando de Dominica, de festo, vel de feria.

Quæ Antiphonæ, Orationes, Psalmi, Lectiones recitandę, aut canendę.

Quando standum, sedendum, caput submitendum, aut flectendagenua.

Omnes Ecclesię ministros sui officij admoneat.

Adolescentes, vel rudes, quibus Euangelium, Epistola, vel aliquid eius generis pulicè recitandum sit, prius in Sacristia audiat, & erudiat.

Eum omnes audiant; qui non audierint, ab eo, qui Choro præsidet, corripiantur; & si opus erit, ad Episcopum deferantur.

Tabellam in Sacristia figendam conficiat, in qua præscribat quid à singulis Canonicis, vel alijs beneficiatis in singulis horis per hebdomadam, aut etiam per plures dies recitandum, cantandumve sit, qui, quo tempore, et ordine missam celebrare, vel horas dicere, aut alia munera obire debeant.

Qui autem, quod ei in tabella præscriptum fuerit, non fecerit; in quam horam peccarit eius distributiones amittat.

Cui-



Cuique plebi magister ceremoniarum constituatur, à quo ceteri ad formam libri editi ceremonias ediscant.

Cap. I I.

**I**N vnaquaque plebe Episcopus duos, vnumve saltem Sacerdotem, Ecclesiasticorum rituum vsu peritum, constituere curet, qui alios Sacerdotes, & Clericos ceremoniarum, quæ in Missa, & in diuinis officijs ritè obeundis requiruntur disciplina, instruant diligenter; qua in re libellus de Missæ ceremonijs adhibeatur, qui iam in lucem exijt à bo. me. Cardinale Borromeo Metropolitano.

DE OFFICIO PRÆFECTI  
in Choro.

Quæ præfectus Chori præstare debeat, aliter puniendus.

Cap. I.

**I**N Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesijs, qui Choro præsidet, vigilet diligenter, nè quid prætermittatur in diuini officij institutione, vel progressionem, vel in reliquis, quæ ad probatam chori rationem pertinent, & alijs, quæ communibus, vel proprijs constitutionibus, in diuinis officijs obeundis præscribuntur. Neve absurdè, indecorè, vel præposterè quidquam fiat: si qui suo officio non satis faciant, eos grauius, & amanter obiuret; si non resipuerint, iubeat punctorem in libro illos describere, & ad Episcopum deferre, cui dignas pœnas pendat. Sin ipse in suo munere obeundo negligens fuerit, ab Episcopo, vel ab alio, qui Ecclesia præsit, puniatur.

Quando hoc officio primus illius Ecclesiæ fungatur.

Cap. I I.

**S**I quæ autem Ecclesia non habet, qui huic muneri nominatim præpositus sit, vel si habet, is non adsit in Choro, præsentis officio fungatur, qui primo Chori loco tunc sedet ex ijs, qui dignitates, aut Canonicatus in eadem Ecclesia obtinent.

Delinquentes magistri quomodo obiurgandi, & puniendi.

Cap. I I I.

**S**I magister in officio suo deliquerit, à præposito Chori obiuret, & ab ordinario puniatur pro delicti modo.

Vbi



Vbi non existit, aliquis pro hoc officio etiam communibus stipendijs ab Episcopo deligatur. Cap. IIII.

**S**I in aliqua Ecclesia non fuerit huiusmodi officium, Episcopus, capitulo adhibito, ad id constituat clericum aliquem probatis moribus, & in diuinis officijs exercitatum, cui stipendium det, communibus etiam sumptibus, si opus erit.

Nemo præter præfectum, vel quem pro officio id muneris spectat sub pœna pro ritu diuinorum iubeat. Cap. V.

**N**E in Choro, Ecclesia, Sacristia, quod ad diuinorum officiorum rationem, ritum ve pertinet, quicquam alius iubeat, nisi chori præfectus, vel is cui pro officij, quod gerit ratione, id muneris competit, pœna ei constituta Episcopi arbitrio.

Quando, & qualiter Episcopus præfectum Chori deputat, etiam amouere valeat. Cap. VI.

**P**ræfectus Chori, vbi ex antiqua, probataq; Ecclesie institutione nominatum nemo est, neque alius item, quem huic muneri Episcopus præfecit, eiusmodi officio fungatur, qui digniori Chori loco sedet: id verò, quod ad alium ei muneri Episcopus arbitrato suo præposuerit. A quo officio quandocumque eum amouere, tum rursus confirmare Episcopo liberum sit.

## DE CLERICO AEGROTANTE.

Qualiter cui Parochiale munus aliquo modo spectat, etiam in Parochiali domo residere cogatur. Cap. I.

**P**arochum autem, qui quacumque de causa Parochialis curationis socium, vel adiutorem habet, tum ipsum, tum illum item in habitatione Parochiali manere, ac residere cogat, Episcopus, & fructuum multa, & alijs præterea pœnis, arbitrato suo irrogandis.

Vbi plures residere nequeant quid ab Episcopo agendum sit.

Cap. II.

**S**I verò præ domicilij Parochialis angustia, vnus, & alter item, illius habitatione vti Episcopi iudicio, nullo modo potest; tum eorum alterum, quem ipse Episcopus, proposita sibi maiori illarum animarum vtilitate, delegerit, in domo Parochiali alterum in domicilio proximè conducto, aut tradito habitare, residere ve Episcopus iubeat; cuius sit efficere, vt id omne, & de domo eorum alteri tradenda, & sicandave, & de ea interim conducenda planè, à quibus debet, præstetur.

Vid. de hoc sup. de Paroc. c. 6.



Si propter infirmitatem Parochus, vt supra residere nequeat qualiter prouidendum. Cap. I I I.

**N**E Parochus, animarumve curator ob senectutem, aut ob aduersam valetudinem, celiue grauitatem ab eo residentiæ munere excusetur. Si vero eius inualetudo id generis est, quæ curari possit, atque & loci, vbi Ecclesia Parochialis sita est, non datur, & aliunde facultas medici, & medicamentorum, tum Parocho, ex infirma illa valetudine laboranti, Episcopus curationis causa facultatem dare possit, qua liceat ei tribus, quatuorve mensibus ad summum, loco propinquiori, in quo eiusmodi necessaria non desint, manere, vbi valetudinem curet. Interea ad illius Ecclesiæ Parochialis curam gerendam Vicarium Episcopus constituat Parochi sumptu.

## DE OFFICIO DELEGATI.

In causis delegatis, deficiente notario, qui, & qua mercede pro notarijs adhibeantur. Cap. I.

**V**ICARIUS Foraneus, atque alij quibus Episcopus processum aliquem aliunde, seruat a iuris formula, cognoscendum, agendumve mandauerit, si in processu conficiendo notarium non habent, quem adhibeant; duos sibi morum, vitæque integritate homines, qui acta conscribant, ad præscriptam iuris formam ascribant. Hisque mercedis taxa maior ea ne sit, quæ Notarij fori præscripta est, sed aut equalis, aut minor pro illius loci ratione.

Delegationis duorum in forma Dignum, nè indigni admittantur quomodo fraudibus occurratur. Cap. I I.

**F**raudes sepe per eos committi animaduersum est, qui mandati literas Apostolicas, quas vocant de prouidendo in forma Dignum, impetrarint ad duos, qui illas deinceps exequantur, scriptas, ita vt, si vnus præstituto tempore non exequatur, alter exequi debeat. Ij enim ab vno, quoniam idonei non sint, reiecti, ad alium tacita, quam tulerunt, repulsa confugientes, beneficij, quod sibi conferri volunt, collationem non idonei aliquando surripiunt. Quamobrem omnibus, singulisque notarijs, Cancellario, actuarijsve prohibitum deinceps sit, ne si eiusmodi delegatæ executionis acta confecerint, eorum partem, nisi de prioris iudicis exequentis consensu, concessuue, ad Canonum præscriptum edant: sed temporis, in mandanti literis præfiniti, spatium confecto, acta omnia, & singula ab se ob eam causam conscripta, illis ipsis ad alterum istiusmodi executionis iudicem debent, pennis propositis, arbitrato Episcopi irrogandis; vt hic quid à priore iudice actum, decretumve sit, scire possit, nè in beneficio conferendo surreptio, obreptiove indebitè insit; indeque propterea lites existant.

Re-



Regulares conseruatores suos ne mutant, & Episcopo diæcesano denuncient. Cap. I I I.

**R**egulares, quibus ex priuilegio ius competit conseruatores eligendi, ad quos in iudicium uocentur, quos semel delegerint, ne mutant; eorumq; præterea nomina, mensis spatio, Episcopo diæcesano significent; alioquin ad Episcopale forum in ius illos uocari liceat.

Ne etiam pro labore, pro dispensationibus matrimonialibus ab Episcopo, & Vicario aliquid à notario autem quid capiatur. Cap. I I I I.

**P**ro dispensationum matrimonialium executione nihil quicquam prorsus muneris, præmij uel, etiam sponte oblato, ac ne pro labore quidem, qui in testibus ea causa examinandis, alijs uel testificationibus excipiendis, ponitur, Episcopus aut Vicarius eius capiat. Notarij uero pro examine testium quartam duntaxat partem aurei ad summum capiant licet.

## DE OFFICIO ORDINARIJ.

Quando, & qualiter Episcopus clericos omnes sacris concionibus interesse curabit. Cap. I.

**E**PISCOPVS ijs diebus quibus prædicandi munus in suis Ecclesijs per alios præstabit, eisdem sacris Concionibus dignitates, personatus, uel Canonicatus in Cathedrali Ecclesia obtinentes, & alios eiusdem Ecclesiæ clericos Dominicis, et festis solennibus diebus interesse pænis, etiam propositis curabit. Quadragesimæ autem, & Aduentus tempore, quàm sepius uerbi Dei Conciones in eadem Ecclesia iisdem audiant; quod officium à cæteris quoque ciuitatis clericis præstari diligenter curabit Episcopus, ut ipsius exemplo laici etiam ad audiendum Dei uerbum studiosius confluant.

Distincta loca uiris, à mulieribus in audiendis concionibus qualiter adhibeantur. Cap. I I.

**C**oncionis audiendæ causa, loca uirorum, & mulierum, si fieri potest, Episcopi cura distinguantur, qui ad id exequendum idoneos aliquot uiros adhibeat.

Imagines, & sculpturæ Ecclesijs imponendæ prius ab Episcopo approbentur. Cap. I I I.

**C**um Sacrosanta Tridentina Synodus decreuerit nemini licere ullo in loco, uel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta uelam insolitam ponere, uel ponendam curare imaginem nisi ab Episcopo approbata fuerit; eiusq;

Ses. 25. in  
ter litta,  
tit. de in  
uocat. ve

dili-



ner. & re  
liq. sanc.  
& sacris.  
Imagin.  
vs<sup>9</sup> in Ec  
clesia ro  
tinēdus  
à lectori.  
Populus  
monen-  
dus, vt in  
Cōc. Mo  
gont. sub  
Archiep.  
Sebasti.  
can. 41. ea  
rū abus<sup>9</sup>  
qualiter  
prohibē  
dus. c. 42  
in d. Cō-  
cil. To. 5.

diligentię, & curę commendarit, vt in sacris effingendis imaginibus nihil falsum, nihil profanum, nihil inhonestum, nihil prapostere, nihil non recte, atque ordine adhiberetur; illud in primis caueat Episcopus, ne quid pingatur, aut sculpatur, quod veritati scripturarum, traditionum, aut Ecclesiarum historia rum aduersetur; ne cuius lectio prohibetur, eius imago populo proponatur.

Historiæ non probatæ effingi nequeant. Cap. III.

**H**istoriæ quoque, quibus neque Ecclesia, neque probati scriptores aucto-ritatem ullam dederunt; sed sola vulgi vana opinione commendantur, effingi prohibeantur.

Pietatem redolentes effingantur imagines, ac propterea ab Episcopo conuocentur pictores, contrauentoresque puniantur. Cap. V.

**D**einde vniuscuiusque imaginis os, corpus, corporis habitum, & statum, ornatum, & locum inspiciendum, curet Episcopus, vt hæc omnia ad prototypi dignitatem, & sanctitatem apta sint, & decora, atque ex imaginis inspectione pietas excitetur; nulla verò turpis cogitationibus detur occasio.

Hæc & reliqua huiusmodi ex Tridentini Concilij prescripto, vt commodius Episcopus exequatur conuocet suæ diocesis pictores, & sculptores; omnesque pariter doceat, à quibus cauere debeant in sacris imaginibus effingendis: curetque, ne illi, inconsulto Parocho, aliquam sacram imaginem publicè, vel priuatim effingant.

Quod si qui deliquerint puniantur tam ipsi artifices quam ij, quorum sumptibus, vel iussu effictæ erunt imagines si dolus interceperit.

Quando Parochi Episcopo effingendas referant imagines.

Cap. VI.

**P**arochi verò Episcopo significant, quæ ille iudicarit in sacris imaginibus effingendis ad se propter difficultatem deferri debere.

Gestorum Christi Domini, & Sanctorum representationes prohibentur. Cap. VII.

**Q**uoniam piè introducta consuetudo representandi populo venerandam Christi Domini passionem, & gloriosa Martyrum certamina, aliorumque sanctorum res gestas, hominum peruersitate eò deducta est, vt multis offensionibus, multis etiam risui, & despectui sit, cum fuerit intermissa statuimus, ne deinceps fiant; sed ita piè sanctorum Martyria, & actiones à Concionatoribus narrentur, vt auditores ad eorum imitationem, venerationem, & inuocationem excitentur.

Epi-



Episcopi, & Parochi vim, & vsum Sacramentorum dum ministrantur qualiter denuncient. Cap. V I I I.

**E**pisopus in administrandis Sacramentis, illorum vim, & vsum, pro eorum, qui sumpserint, & adfuerint, intelligentia, diligenter explicabit. Idem quoque faciant Parochi ea ratione, ac sententia, quæ in Cathedismo Romano præscribitur.

Qua Episcopus diligentia teneatur. Cap. I X.

**S**ummam vim, ac necessitatem habet illa Domini sententia, Speculatorem dedi te domui Israel; & alio item loco, Diligenter agnosce vultum pecoris tui, & considera super greges tuos; ut Episcopus quanta maxima potest diligentia obseruet sibi commendatum gregem, neque ab eo vnquam oculos deiciat, quid ei opus sit animaduertens, ut ex Prophetæ sententia, confractas partes alligare, infirmas consolidare, egrotas sanare, abiectas oves redocere, perditas requirere, & recuperare possint.

Quos sibi exploratores Episcopus deligere debeat. Cap. X.

**Q**uoniam verò lustrare omnia proprijs oculis nequit Episcopus; in singulis Parochijs deligat certos, ac probatos viros, qui inuestigent, an Populus ambulet in Vijs Domini; an aliquid sit, quod Episcopi cognitionem, & medicinam desideret; an aliquid quod corrigi, & emendari debeat: quæq; compererint, fideliter ad Episcopum deferant.

Qui ab Episcopo Vicarij foranei deligendi erunt. Cap. X I.

**V**t Episcopus in vrbe etiam externum gregem facilius, quasi præsens intueri, & curare possit; deligat aliquot probatos Sacerdotes, quibus singulis, imposito Vicarij foranei nomine, tribuat certas regiones diocesis sue. Id autem munus ad Archipresbyteros, Archidiaconos, qui in diocesi sunt e præpositos, aliosve Ecclesiastica dignitate præditos, quos idoneos iudicauerit deferet, vel ad alios Rectores, qui apti sint ad huiusmodi officium.

Vicariorum prædictorum, & suæ regionis curatorum conuentus, quando, & qualiter habendus, quid ibidem agendum, & pertractandum, & quæ contrauenientium pœna erit. Cap. X I I.

**H**ic autem Vicarij regionis sibi per Episcopum commissæ, presbyteros cuiuscunque conditionis curam animarum habentes, semel singulis mensibus, modò in vnam, modò in aliam eius regionis Parochialem Ecclesiam cogant, idq; in orbem eodem ordine semper faciant.

Prædie eius diei, quàm in vnum locum conueniant, peccata sua omnes confiteantur; sequenti die in ea Ecclesia, in qua coacti fuerint, Missam singuli celebrent.



Tum *Uniuersi* in Choro *Missam* conuentualem pro mortuis, vel de *Sancto spiritu*, solenni more cantent; in qua eorum aliquis, à *Vicario* prius admonitus, concionem ad populum habeat.

Confectis sacris, & habita processione circa cœmiteriũ, orationibusq̃, consuetis; in domo *Rectoris* illius *Ecclesiæ*, ea qua decet modestia, & charitate cibum copiant.

Deinde conferant inter se, quæ ad boni *Pastoris* officium, & ad curam animarum rectè gerendam pertinent; & consulant de difficultatibus, & incommodis suæ *Parochiæ*, quorum explicatio, vel remedium, aliorum consilium, & operam requirat. *Idem* autem *Vicarij* libellum de casibus conscientiæ, *Episcopo* ac *sedi Apostolicæ* reseruat, reliquis *Sacerdotibus* legent, & aliquot capita harum constitutionum, simulq̃, quidpiam ex probata *summa* de casibus conscientiæ explicabunt.

Præcipuè autem de *presbyterorum* vitâ, & moribus querant, & quales se in *pastorali* præbeant cura.

An eorum culpa diuinus in *Ecclesia* cultus desideretur.

An re ipsa præsentur ea, quæ *Episcopus*, vel alij eius nomine in *Ecclesiarum* necessitatem, earumve reparationem impendi iusserint.

An libros habeant, quos ex decreto nostro habere debent.

An reliqua decreta seruentur.

De his omnibus, & siquid propriè mandarit *Episcopus*, deq̃, alijs, quæ ad vtilitatem animarum *Episcopi* cognitionem desiderant, ipsum per literas diligenter certiore faciant.

Quoties in urbem venerint, primùm *Episcopum* adeant; deq̃, eorum statu, qui sibi commissi sunt accuratè doceant.

Curati verò quicumque, etiam si quauis dignitate præditi, in ijs, quæ ad officium suum spectant, *Vicarijs* quos diximus, obtemperent.

Quod si aliqui ad conueniendum negligentes, vel ad mandata eorundem *Vicariorum* exequenda contumaces fuerint; *Episcopus* in illos pro modo culpe animaduertat.

Hi autem *Vicarij* voluntate *Episcopi* ab officio amoueri semper possint, ac si malè id administrarint, pœnas dent, eiusdem *Episcopi* iudicio.

#### Visitaciones qualiter faciendæ. Cap. X I I I.

**I**nter *Episcopalis* officij munera, præcipua est, & ad salutem gregis maximè necessaria *visitatio*, ideo meminisse debent *Visitatores*, *visitationem* ad salutem eorum qui *visitandi* sunt institutam esse. Quamobrem illis maximè propositum esse debet, vt in eis *in corruptam, orthodoxamq̃, doctrinam, probatam morum disciplinam* tueantur, ac restituant.

Quæ præstare, & animaduertere in *visitatione* *Episcopus* debeat.

#### Cap. X I I I I.

**S**tudebunt *verbi Dei* prædicatione, uehementi cohortatione ad religionem, vitæ innocentiam, pacemq̃, & concordiam omnes adhortari.



Si verò priuata admonitione opus esse intelligent: in eam docendo, arguendo, obsecrando pro rei, personæ, at temporis ratione incumbent.

Confirmationis sacramentum, ubi opus erit, ministrabit Episcopus.

Omnes ad pœnitentiam cohortabuntur, & quos aliquo peccato teneri cognouerint, cuius absolutio Episcopo reseruata sit, eos pie confitentes, & humiliter veniam petentes, vel ipsi, vel per alios ad id munus delectos, absoluent.

In singulis locis, à viris ætate, vsu, & probitate commendatis, de omnibus subtiliter inquirent, quæ eos pro officij sui munere scire oportebit. Ecclesiam, & eius partes omnes inspicient.

An eo cultu, & nitore teneatur, qui domum Dei decet; si quid restituendum, reparandum, reconcinandum ve sit, iubeant ab ijs, ad quos pertinet resarciri.

An sanctorum reliquæ tutè, ornate, decenterq; conditæ asseruentur.

An quæ de sepulchris, ac cœmeterijs sancita sunt, re ipsa præsententur.

Si qua Ecclesia, aut cœmeterium pollutum sit reconciliari curabunt.

Quæ prosequendo Episcopus perspiciat. Cap. X V.

**V**idendum etiam, an desint vestes, libri, calices, patenæ, corporalia, & reliqua eius generis instrumenta, & ornamenta, quæ ad altaris ministerium, & ad diuina officia sint necessaria.

An illa munda & purgata seruentur.

An Missæ, aliæq; diuina officia, qua oportet pietate, ac deuotione celebrantur.

An Ecclesiæ libri, vetera scripta, instrumenta, & priuilegia custodiantur.

An eorum extet ratio, quæ in inuentarium relata sunt.

Tum de dignitatibus, canonicis, & alijs Ecclesiæ ministris querendum erit.

An ritè sint ordinati.

An ordinibus initiati, quos eorum officij munus requirit.

An Ecclesias, beneficia, seu Ecclesiastica officia legitime obtineant.

An in ea se quisquam intruserit.

An resideant, & administrationi Sacramentorum, & Missarum, diuinorum officiorum celebrationi, & anniuersariorum persolutioni, alijsq; oneribus, & muneribus satisfaciant.

Quæ sit eorum vitæ, ac morum ratio, an vestitus modestus, quibuscumque versari soleant, qualis sit eorum familia.

An sordidis, & illiberalibus artibus, & ab eorum gradu alienis, operam dent.

An Ecclesiæ iura, & bonorum Ecclesiasticorum possessionem defendant.

An eorum fructus rectè dispensent.

An pacem inter se habeant, se in aliorum pacificationem interponant, ini-



micitiarum, & odiorum causas tollere studeant.

An populus pie versetur in Ecclesia, missamq; & alia diuina officia reuerenter attendat.

Quid in parochialibus præcipue intuumdum erit.

Cap. X V I.

**I**N parochijs præter ea omnia, quæ diximus, videant an Parochi ex decreto, in hac synodo edito, libros habeant, in quibus baptizatorum, compatrum eorum, qui matrimonio coniunguntur, ac mortuorum nomina, & cognomina describantur.

An ritè Sacramenta præbeantur.

An Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, Chrysmata, & reliqua sacramenta munditiæ cura, & custodia, qua debent, conseruentur; & suo tempore mutantur.

An Eucharistia pie, & honorificè, prosequente fidelium comitatu, ad egrotos afferatur.

An legitimè matrimonia, & in Ecclesia, adhibitis ex decreto Tridentini Concilij denunciationibus, debito tempore contrahantur.

An suæ curæ commissas Ecclesias, maximè diebus festis, deserant, vt inserviant alienis.

An Dei Verbum prædicent, & pueros rudimentis fidei instruant.

An libros, quos nos habendos præscripsimus, habeant.

Prosequutio prædictorum vniuersalis. Cap. X V I I.

**D**Enique dispiciant, an in populo sint heretici, usurarij, concubinarij, alijq; flagitiosi, & facinorosi homines; qui inimicitias gerant; qui Quadragesimam, alia ieiunia, festos dies, & reliquos Ecclesiæ ritus non seruent; quiq; saltem in anno peccata sua confessi non sint; aut Sanctam Eucharistiam non sumpserint.

An sint, qui legata pia non exequantur.

An domestica disciplina patrumfamilias in educandis liberis diligens, pia, & honesta sit.

His exquisitis, cognoscere studeant, qui nam ex regularibus, & prædicandi munere fungantur, & fidelium confessiones audiant, an & eorum probata sit doctrina; & probata doctrina vita respondeat.

An hospitalia, & alia pia loca rectè administrantur; eorumq; bona prudenter fideliterq; in eum usum, cui addicta sunt distribuuntur.

An qui in hospitalibus sunt pie viuant.

De scholis sciant, quos libros discipulis Magistri interpretentur, & an illi officio suo satisfaciant. An Magistri tales sint, & ita admissi, quem admodum mandauimus, si secus amoueantur.

De bibliothecis diligenter quarant, an in eis sint heretici libri; aut qui aliter iure prohibeantur.



*Si quid in ijs omnibus tollendum, corrigendumve fuerit, tollent, & corrigent; & ad puniendos delinquentes, censuras, & alia iuris remedia adhibebunt.*

*Omnes verò summo studio monebunt, & hortabuntur; vt officij sibi commissi munus fideliter, ac diligenter exerceant.*

*Neque solùm hæc sed quæcunque à Tridentino Concilio, & provincialibus Mediolanensis præcipiuntur, & alia multa, quæ pro eorum prudentia, ac pietate ad vtilitatem, ac salutem populorum, eis in mentem venire poterunt, exquirent & exequentur.*

Decretorum Concilij Prouincialis primi circa meretrices,  
& alios facinorosos observatio curanda.

Cap. X V I I I.

**C**uret Episcopus, vt decreta primi Concilij Mediolanensis Prouincialis sub titulis de Meretricibus, & Lenonibus, de Hystriionibus, & Cingaris, & Tabernis meritorijs, & aleatoribus, & Iudgis eliminandis obseruentur.

Monendi sunt apprimè diuites, nè facultates aliter, quàm in pauperes effundant. Cap. X I X.

**C**opiosis, & locupletibus illud semper propositum esse debet Sancti Iohannis Apostoli, si quis habuerit substantiam mundi huius, & viderit Fratrem suum necesse habere, & clauerit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? vnde facile intelligunt, quàm facultates suas ad pauperum difficultates, & necessitatem subleuandam conferre debeant. Quamobrem magnoperè cauendum est, nè subsidia pauperum in superuacaneos sumptus, & inanes delicias effundantur. Proinde Parochi, & prædicatores assidue omnes hortentur, vt effusam impensam, & omnem intemperantiam temperantes modum statuunt.

Concil.  
Ticin.  
sub Bene-  
dicto 3.  
verf. Do-  
ctrina  
vet. in  
Tom. 3.

Pontificum bullæ indies edendæ quando promulgandæ.

Cap. X X.

**S**ummorum Pontificum Bullas, quæ quotannis de quavis causa ab illis edentur, Episcopus duobus saltem post mensibus, quàm illas Romæ editas cognouerit, in sua diœcesi, eas potissimum promulgandas curet, quas promulgari in ijs ipsis iussum erit, tum illas item, quas ad Ecclesiæ suæ gubernationem pertinere aliqua ratione posse iudicabit.

Mendicorum vagantium cura ab Episcopo habenda.

Cap. X X I.

**E**piscopus de vita, & moribus mendicorum vagantium diligenter inquirat: in itaq; aliqua ratione curet omnino, vt sacro Paschæ tempore illi communicent.



Adepti beneficij titulus, & optio per quemuis Episcopo deferatur.  
Cap. XXII.

**Q**ui deinceps Ecclesiastici beneficij possessionem adipiscetur, eius beneficij titulum is etiam ante non monitus, ad mensum Ordinario suo ostendat: etiam si sit Canonicus Ecclesiæ in qua extet consuetudo optandi, nam instrumentum optionis autenticum dare debet, vel dignitatem obtinens in Cathedrali, vel collegiata; quod si secus fecerit, dimidia parte fructuum, & prouenuum unius anni mulctetur, qui ex eo beneficio singulis annis percipiuntur; um omnibus iuris remedijs titulum exhibere cogatur.

Scholæ si iam non sint doctrinæ Christianæ instituatur, & ad regulam præscriptam dirigantur: & quæ circa illas per Episcopum, Vicarios, & alios cura adhibenda sit.  
Cap. XXIII.

**Q**uibus in oppidis, vicis, ac locis, quæ ad hanc diœcesim pertinent, necessaria doctrinæ Christianæ scholæ, & sodalitates iussum est, adhuc instituta non sunt, illæ quamprimum, & quàm diligentissimè instituatur. Studeat verò Episcopus, vel is qui hanc curam ab ipso habet, quam plurimos eius conditionis, status, & ætatis homines probatos, tum mares, tum feminas ijs scholis iam institutis, vel instituendis adscribi, adscriptosq; operam illis nauare, vt concessi Indulgentiarum muneris participes sint.

Eas verò iam institutas, vel imposteum instituendas, scholas, & sodalitates, ad illas præscriptas regulas dirigi curet, quæ iussu Sanctæ memoriæ Cardinalis Borromæi Metropolitanæ ad communem earum usum in lucem editæ sunt.

Scholas præterea quàm sepius visitari, tum ab earum Præfatis, tum ab alijs etiam iubeat, quibus id negotij dederit. Ij q; diligenter ei referant, cum de omni instituta earum ratione, frequentiaq; illorum, qui conueniunt, tum de reliqua earundem sodalitatum spirituali progressionem.

Eisdem, quòd plures poterit, constituat Confessarios, Sacerdotes, & in concionibus habendis exercitatos, quorum & ministerio adiuuentur, & salutaribus monitis, crebrisq; cohortationibus inflammentur in dies magis, ad illud scholarum, & piarum exercitationum institutum, atque studium.

Si quam aliquando concionem sacram à prandio populo haberi contigerit, ei certa hora ab Episcopo statuatur, ita vt neque concionator à doctrinæ Christianæ scholis, neque hæ ab illo impediatur.

Monasteria, & beneficia commendata visitet Episcopus, & etiam per fructuum sequestrationem eis prouideat.

Cap. XXIV.

Sess. 21.  
c. 8. de re  
format.

**E**piscopus ex Tridentini decreti iussu, singula monasteria in quibus non viget regularis obseruantia, aliaq; Ecclesiastica beneficia, quæ commen-

data



data sunt, quocunque nomine nuncupata, intra diœcesis suæ fines posita, quotannis visitet; idq̄, opportunis omnibus remedijs, facta etiam fructuum, ad illa pertinentium, sequestratione, provideat, vt quæ reconcinnari, aut instaurari oportet, ea omnino vel reconcinnentur, vel restituantur, tum indumenta præterea, ornamentorum supellex, & sacræ vestes comparentur; ac misteria, quæ ad diuinum cultum spectant, rectè ordine, & cum dignitate in illis præstentur.

Aliquos sibi adiutores pro salute subditorum Episcopus deligat.

Cap. XXIIII.

**E**piscopus in Vrbe sua viros aliquos, auctoritate præstantes, spiritualis vitæ studiosos deligat, quorum adiumento, & opera vti possit, & in ijs cognoscendis, quæ ad ciuitatis, diœcesisq̄, suæ morum institutionem pertinent, & in adiuuandis Christianarum virtutum exercitationibus, & in alijs denique, quibus populi sibi commissi progressio fiat ad Sanctè agendi studium.

Quando in Missa, vel post sermo ad populum habendus sit.

Cap. XXV.

**C**uret Episcopus, quod veteris & cœlesis instituti est, sermonem, sacramve concionem vbiq̄, intra Missarum solennia potissimùm haberi, siue ab illo eodem sacerdote, qui Missam tunc celebrat, canitve, siue ab alio habeatur: idq̄, præterea, etiam si Missæ sacrificium pro mortuis fiat; nisi sermo aliquando Episcopi concessu de mortui laudatione in Ecclesia habeatur, qui nullo modo in Missa, sed ea peracta pronuncietur.

Immediatè post Euangelium habeatur. Cap. XXVI.

**C**um verò concionis, sermonisve munus in Missæ sacrificio præstatur, id fiat semper statim, postquam Euangelium recitatum est, vt Ecclesiastici ritus ratio postulat, non in alia Missæ parte, aliove tempore.

Episcopo concionanti quis assistant. Cap. XXVII.

**E**piscopo concionanti, ministri Ecclesiastici, sacris vestibus ritè induti, septem, vt antiquo Canone iussum est, vbi potest, sin minus, pauciores ab vtroque eius latere assistant.

Quomodo baculus pastoralis interim sustentetur.

Cap. XXVIII.

**A**dsit etiam, vel dignitate præditus, vel Canonicus, vel alius denique, ad quem ex probato instituto spectat baculi pastoralis sustentatio, pluuiali indutus; qui ante ipsum à latere sinistro baculum manu sustineat.



Episcopus cum sermonem habet dum sacrum facit, & si non sollempni-  
ter quibus utatur. Cap. XXIX.

**S**i verò sermonem in Missa sacrificio non sollempni habet, sacris item ve-  
stibus, Missæ sacrificio dicatis, utatur, & mitra, & cum baculo item  
adsit minister.

Qui eidem etiam assistere debent. Cap. XXX.

**E**tiam assistant præterea ministri duo ad minimum, superpelliceo, aut, si  
Canonici, vel dignitate præditi sint, suo in Chori officijs stato habitu quo-  
tidiano induti; nisi pro alicuius celebritatis, sollempnisve actionis, ac populi con-  
cursus ratione, alijs sacris vestibus eos amictos esse aliquando iusserit.

Qualiter Episcopus ornatus, & quo loco sedens sermonem  
habebit. Cap. XXXI.

**I**d porro muneris obeat, sedens in medio altari, in faldistorio, aut in sede  
loco eminentiori collocata, aut in cathedra Episcopali, aut etiam sugge-  
stum, ambonemve ascendat: Vbi itidem sedens, & mitra item ornatus, etc-  
risq; ut supra adhibitis, commodius à populo conspiciatur, & audiatur.

Episcopus præterquam in Missa qualiter sermocinabitur.

Cap. XXXII.

**I**n alia verò actione, quàm in Missa sacrificio, aliove tempore; prout actio  
sollemnis, populivæ frequentia est, sermonem ipsdem ut supra locis, arbitra-  
tu suo, habeat, pluviati, & mitra etiam indutus, adhibitis quoque vel pluri-  
bus, vel duobus saltem, qui digniores alijs in Ecclesia sint, vbi de more illius  
Ecclesiæ Episcopo in sacris actionibus, assistere solent, vel Archidiacono,  
& altero Diacono, qui digniori loco sedet, aut demum duobus, ut Episcopo  
videbitur, Canonicis Diaconis, sacro Diaconali amictu vestitis.

Quid si Episcopus aliter quàm cum pluviati sermonem habebit ob-  
servandum sit. Cap. XXXIII.

**Q**uòd si cappa Episcopali, & stola potius, quàm pluviati & mitra uti  
maluerit: illi duo assistentes, non sacro Diaconali amictu; sed & ipsi, &  
alii ministri superpelliceo, aliove sui Canonatus, dignitatisve in Chori offi-  
cijs insigni induantur, adhibeaturq; præterea, non solum qui pastorem bacu-  
lum, sed alter etiam, qui mitram à dextero latere teneat.

Prosequutio prædictorum. Cap. XXXIII.

**C**um verò sermonem, aut concionem, minus frequenti populo, aut in  
actione minus sollempni, vel in Ecclesia non insigni habeat, poterit rochet-  
to, & mozetta indutus id præstare, stola etiam adiuncta. Nec verò propte-  
rea omittet, quominus si per temporis, & loci opportunitatem liceat, & assi-



stentes, & alios ministros, vt supra, adhibeat, cum insignibus Episcopali-  
bus. Si quando autem tunc duo illi Canonici, cum superpelli ceo, vel cum indumen-  
to, habitusve Canonicali non assistent, Ecclesiastici tamen ordinis homines  
aliquot grauiores presentes adesse, conueniens erit.

Quomodo pro opportunitate, Episcopo qualitercunque induto,  
prædicare liberum sit. Cap. XXXV.

**T**Riplex porò hæc ratio, vel pluuiali, vel cappa Episcopali, vel rocche-  
to, mozettaq, cum stola vtendi, cum sermonem non in Missa sacrifi-  
cio, sed in alia functione, aliove tempore Episcopus habet, non ita ei præscri-  
pta est, quin modò vnã, modò alteram, modò tertiam, prout maluerit, et tem-  
poris, & loci, personarumve ratio tulerit, adhibere possit. Nec præterea pro-  
hibetur ex tempore, vt aliquando vsu venerit, vbiq, etiam sine stola gregè  
suum verbo Dei, & salutaribus monitis pascere pro munere suo pastorali,  
cum eius & dicta, & facta, quasi perpetuam quandam prædicationem mini-  
strare, præbere ve debeant.

Quos infirmos Episcopus visitare, & benedicere curabit.

Cap. XXXVI.

**E**Piscopus pro sua vigilanti cura, in vrbe, aut alio loco, in quo ipse sit, cum  
ægros grauius laborantes, præsertim vitæ spiritualis amantes, pietatisq,  
laude insignes, paterna charitate aliquando visitare studeat: tum Episcopa-  
lem benedictionem moribundis impertiat.

Hoc officium quoque diligentius, cum potest, sæpe Parochis, Sacerdotibus,  
religiosis viris, ægrotantibus, & moribundis item, præstare idem pie curet.

Quarti Concilij de se decreta frequenter audiat Episcopus,

& exequatur. Cap. XXXVII.

**E**Piscopus curet quantum in se fuerit vt decreta quarti Concil. Prouin-  
cialis de se loquentia executioni demandet, frequenterq, in mensa lege-  
re faciat.

Visitatores, fidei, & morum pietatem maximè aduertant.

Cap. XXXVIII.

**V**isitatores diligentiam omnem visitando adhibeant, uon modò in Ec-  
clesiarum cultu, & ornamento tuendo, augendo ve, sed maximè in om-  
nia, & Cleri, & populi pristina Christiana disciplina restituenda; in vtriusq;  
item moribus cognoscendis, vsdemq, deprauatis corrigendis.

Immoderati inanesque luxus ornatu ve tollantur.

Cap. XXXIX.

**F**oeminarum, ac marium luxu, immoderatoq, vestium sumptu vtentium,  
ornatum illum inanem, ac planè superuacaneum, & à Christianæ vitæ



more sanè quàm alienum, Unde tot malorum seminarum extirpare quotidie cernitur, omni Episcopalis muneris officio, & auctoritate prohibere, tollere, funditusq; euellere studeat.

Regularibus subiectarum monialium clausuræ Episcopus prospiciat. Cap. X L.

**M**onialium monasteria, regularium iuri, curæ ve subiecta, quod ad clausuram attinet, diligenter, accurateq; Episcopus visitet; loca ipsa introspiciat; atque ex superiori etiam parte circumlustret; & cautè solerterq; inspiciat prospectus omnes, aditus, & cætera denique omnia, quæ ad clausuram rectè tuendam, vilo quouis modo pertinent.

Quid sibi cum Metropolitano agendum sit Episcopus aliquando videat. Cap. X L I.

**E**piscopus aliquando videat, quæ sancita fuerunt à Sanctæ mem. Cardinali Borromeo in Concil. 4. Prouinciali. Titulo de Concilio Prouinciali, vt si quod officium hoc de genere cum Metropolitano agendum sit suo muneri satisfaciatur.

Synodus diæcesana qualiter habenda, denuncianda, & Calendario significanda. Cap. X L I I.

sess. 24.  
c. 2. de re  
fermat.

**E**piscopus ad Tridentini Concilij præscriptum singulis annis, ac item semper sex post prouinciale Concilium mensibus, diæcesanam Synodum habeat; quare ex decreto Concilij quarti Prouincialis Titulo de Synodo diæcesana, certum diem Synodalem constituat, quo Clerus ad illam conueniat. Hic autem dies in singulos etiam annos, Cathedrali in Ecclesia de suggestu, die Epiphaniarum, vel Cal. Ianuarij, vt alios solennes dies denunciari consuetudinis est, indictus Calendario etiam adscribatur, quod in singulos annos confici solet. Certum autem illum diem, prout causa postulabit, modò prorogare, modò accelerare, ac mutare Episcopo arbitrato suo licebit ex causa.

Decreta prouincialia, quomodo publicanda. Cap. X L I I I.

**I**n prima quaq; diæcesana Synodo decreta, in prouinciali proximo Concilio edita omnino promulgentur.

Monitiones quartæ prouincialis synodi, qualiter etiam in diæcesana recitandi. Cap. X L I I I I.

**P**eruetus illud institutum est, tum Sanctorum Patrum vsu, tum Ecclesiæ auctoritate comprobatum, vt quæ sacerdotalem, clericalemq; disciplinam officia, ac partes eius maxime attingunt, ea certis monitionibus comprehensa ab Episcopo in synodis clero proponantur. Quare monitiones ab Illustrissimo Borromeo in Concilio quarto prouinciali scriptas Episcopus in sua diæcesana synodo faciat Clero, prout sibi placuerit, recitare: quibus addat, vel detrahat arbitrio suo.

Con-



Concilij Provincialis quinti circa pestem decreta pro tempore  
seruanda. Cap. XLV.

**E**pisopus tempore pestis, diligenter curet obseruari, quæ pie, doctè, &  
luculenter docuit, ac mandauit Dominus meus in Concilio quinto pro-  
uinciali per totam secundam partem illius Concilij.

Qui Synodo diœcesanæ interesse, & obtemperare tenentur.

Cap. XLVI.

**S**ynodo diœcesanæ, vniuersi, & singuli Sacerdotes, & clerici cuiuscunq;  
ordinis intersint, quicumque Canonum iure, vel Ecclesiasticis sanctioni-  
bus, vel Tridentino decreto, vel consuetudine, aliave ratione interesse pos-  
sunt, aut planè debent.

Adsint verò inter ceteros quicumq; beneficium Ecclesiasticum, cuius cau-  
sa de iure, aut consuetudine adesse debent, in ea diœcesi obtinent, quamuis in  
alia domicilium habeant. Atque in ijs quidem, quæ ad beneficium illud per-  
tinent, eiusdem Synodalibus decretis, iussisq; obtemperent.

Pro Synodo habenda quæ oratio, & sacrum faciendum sit.

Cap. XLVII.

**A**nTE statam synodi diem per mensem, quinta quaque feria in Missæ  
sacrificio, si quadragesima est, oratio de spiritu Sancto dicatur; alio au-  
tem tempore, die eodem Missa celebretur, ceteraq; præstentur, prout secun-  
do prouinciali Concilio sancitum est.

Quod perceptione Sacramentorum pro synodo se præparent.

Cap. XLVIII.

**Q**uo puriores autem Ecclesiastici ordinis homines, qui in synodo ades-  
se debent, ad eam actionem, quæ religiosam animi præparationem ab il-  
lis deposcit, conueniant; omnes, & singuli Dominico illo die, synodum præce-  
dente, peccata primùm confessi, non solum Sacerdotes Missæ sacræ faciant,  
sed reliqui singuli cuiusuis ordinis clerici, sanctissimam Eucharistiam sumant.

Quæ & à quibus anre Synodum indaganda, & Episcopo referenda  
sunt. Cap. XLIX.

**A**nTequam statam synodi dies veniat, & in ciuitate ij, quibus id curæ Epi-  
scopus dederit, & in diœcesi Vicarij foranei, & Parochi præterea, tum  
urbani, tum diœcesani, vt ipsi Episcopo adiumentum afferant, diligenti ali-  
qua earum rerum indagatione, ac relatione, quibus per eum consuli, aut prou-  
deri in Synodo præsertim oportebit, hæc quæ infra generatim, vel vniuersè  
mox præscribentur, sedulò videant, ac notent, vt ea omnia ad præscriptam ab  
ea rationem, & normam, tum literis, tum coram constituto tempore deferant.  
Idq; omne, præter diligentiam, quam de hoc genere toto, testes Synodales,

ex decre-



ex decreto Prouinciali adhibere, & præstare debent.

Primò igitur ij omnes pro suorum quique munerum, officiorumve ratione, & cura despiciant, quæ cleri sit in clericalis vitæ moribus progressio; quæ in vita spiritali disciplina, & quàm sollicitum in diuinorum officiorum cultu studium, quàm diligens in Ecclesiasticis functionibus obeundis sollicitudo, quæ etiam, & quàm frequens in literarum exercitationibus cura; qui in earum studijs progressus item.

Vicarij autem foranei, alijve Ecclesiastici homines, quos ob eam causam Episcopus delegerit, exquirant, qui præterea Parochorum in primis zelus in animarum salute procuranda, quæ in Sacramentis ministrandis sedula diligentia, quàm frequens in pascendis verbo Dei fidelibus officium, quæ deniq; in omnibus Parochialis muneris partibus vigilantia, quæve assiduitas.

Deinde ij omnes, & singuli pro sui officij munere inuestigent, quæ populi in Christianæ charitatis operibus exercitatio, quàm religiosus festorum dierum cultus, quàm pia in Ecclesijs conuersatio, quæ in doctrinæ Christianæ scholis frequentia: tum de alijs pijs sodalitatibus disquirant, tum denique de reliqua omni eiusdem populi disciplina, & in via Domini progressu.

Post videant, qui singularum Ecclesiarum præsertim Parochialium Status; an si quæ instauracionem desiderent; an debito cultu fraudentur, an sacris vestibus, ornamentis, suppellectiliq; Ecclesiastica, ad cultum necessaria, instructæ sint; an denique vlla ex parte incultæ.

Postremò an si aliqua sunt Prouincialium, Diæcesanarumq; Synodorum decreta, edicta, visitationum præscripta, aliave Episcopalia iussa, quæ executionem non habeant; quid item impeditenti, aut difficultatis, aut denique causæ sit, quamobrem eorum executioni non sit locus.

Id autem omne, quod ad executionem attinet, notent, tum ijdem, vel præfecti, vel delecti Ecclesiastici homines; tum Vicarij foranei, tum Parochi, alijq; qui Ecclesiastica beneficia obtinent, prout eorum vnus cuiusque in illis exequendis partes sunt.

Quando Vicarij Foranei, & Urbani præfecti pro nominibus, & excusationibus clericorum deferendis ad Episcopum conueniant. Cap. L.

**C**VM autem Synodalis dies prope adest, Vicarij Foranei pridie illius diei adsint summo mane in ædibus Episcopalibus: eoq; ipso die quam primùm Episcopo nomina, & cognomina tradant, eaq; ordine descripta, Sacerdotum, & clericorum singulorum, qui ad Synodum conueniunt, ac rursus absentium, causis sigillatim item descriptis, quamobrem Synodo non adsunt. Idq; præter officium legitimæ excusationis, quam qui absunt, Episcopo afferre, & probare debent. Hoc ipsum triduo, vel biduo ante eum Synodalem diem, qui ab Episcopo in vrbe regionibus sunt præfecti, aut delecti præsent de suæ quique regionis clericis.



Promotor Synodalis, alijque ad excusationes, querelas, contro-  
uerfias, & accusationes recipiendas, ac referendas  
statuendi. Cap. LI.

**V**T Episcopus, Synodaliū actionum officijs, & curis multis tunc oc-  
cupatus, aliorum ministrorum studio, & opera adiuuetur, triduo, aut  
biduo ante Synodi diem, Ecclesiasticum hominem iuris peritum statuatur, qui  
promotoris munus obeat, & vnum, duosve Ecclesiastici item ordinis, qui eor-  
um, qui à Synodo, cui interesse debent, absunt, causam, rationemq̄, absen-  
tia eius nomine cognoscant: qui præterea querelas, controuersias, & accusa-  
tiones eodem nomine audiant, & ipsi Episcopo referant; cui liberum, inte-  
grumq̄ sit, etiam dum Synodus habetur, quancumque libuerit, illas sibi  
aduocare, & alijs etiam delegare.

In Synodo promulganda quis legere debeat. Cap. LII.

**Q**uacunque porro, vel decreta, vel constitutiones, vel edicta, vel scri-  
pta cuiusuis generis in Synodo legi, promulgariue oportebit: ijs legen-  
dis, vel Archidiaconum, vel Canonicum Diaconum suæ Cathedralis Ec-  
clesiæ constituatur, qui id muneris rectè obire possit: si modò is, qui Cancellaria  
Episcopalis officium gerat, Canonicus illius Ecclesiæ non sit, aut in ea  
dignitatem obtineat: Ad illud enim potius hoc officium pertinere decer-  
nimus, quo tunc impedito, ad alium canonicum, quem Episcopus, vt su-  
prà delegerit.

Quando ante Synodum campanæ solenniter sint pulsandæ.

Cap. LIII.

**P**ridie item illius diei, quo futura est synodus sub primam horam noctis  
in omni Ecclesia ciuitatis solenni campanarum sono significatio detur,  
synodi postero die inchoandæ.

Qualiter clero hora conueniendi ad synodum indicetur, in Cathe-  
draliq̄; induat, accedat, & sedeat. Cap. LIIII.

**P**ostridie, quæ stata synodi dies est, summo mane, & cæteris deinceps sy-  
nodalibus diebus in cathedrali ecclesia certis campanæ ictibus ad syno-  
dum clerus conuocetur: cuius etiam rei significatio fiat tabella, cura Ma-  
gistris ceremoniarum publicè loco suo affixa, qua synodalis sessionis certa  
hora indicatur.

Qua hora vniuersi, & singuli, qui in synodo interesse debent, in Ecclesia  
Cathedrali, non raptim sed graui incessu conueniant; vbi conuenerint, loco  
constituto, superpellicea, quæ munda, ac decentia sint, & almutias, cappasve  
pro ecclesiæ instituto, & iussu induant, quicumque dignitates, canonicatusve  
in ecclesia Cathedrali obtinent, & qui collegiatis Ecclesijs quocumque no-



mine præpositi sunt; quibus rectè, & decenter induti, inde ad statum sessionalem locum, non turbulenter, sed quietè, & quoad eius fieri potest, bini veniant, atque ordine consideant.

Quid eis cauendum cum federint. Cap. L V.

**I**N loco igitur benedictionis confidentes Domini sacerdotes, & reliqui inferiorum ordinum clerici, nec vocibus obstrepant, nè tumultibus rem synodalem perturbent, nè confabulationibus operam dent; sed hæc omnia, cæteraq; maximè caueant, quæ Ecclesiastica disciplina, synodalis actionis dignitati, & loci venerationi non conueniunt.

Tempus celebritati Synodali præstitutum. Cap. L VI.

**S**YNODALI celebritati triduum veteri ritu præstitutum est; at pro rerum, quæ gerendæ sunt ratione, Episcopus non solum breviori, sed etiam longiori tempore synodum agat, & synodales actiones tractet licet.

Primo synodi die processionibus, & alijs ex Pontificali adhibitis, habitoque sermone, quæ indicto silentio legantur.

Cap. L V I I.

**P**rimo Synodi die, Episcopus processione solenni primùm peracta Missæ sacrificium celebret: tum precibus stans, & ceremonijs, ad eiusdem Synodi inchoationem è libro Pontificali ritè adhibitis, sermonem clero habeat eo de genere, quod Synodalibus tractationibus, & sanctæ disciplinae accommodatum sit.

Quo sermone peracto, Archidiaconus, vel alius Episcopi iussu indicat silentium; ceteraq; præsentur ad præscriptum Concilij Quinti Prouincialis, vbi luculenter actiones synodales explicantur, & notantur, decretare, siue constitutiones, quæ sunt legenda.

Sequenti die Missa, à quo, & qualiter celebranda.

Cap. L V I I I.

**P**OST primæ sessionis diem, reliquis deinceps diebus, à Canonico, vel ab eo qui dignitatem obtinet, hebdomadario, Missa solennis stans hora canatur, vel dicatur summissa voce arbitrio Episcopi.

Qui, & quando pluuialia induantur. Cap. L I X.

**P**luuialia item induantur, qui in Cathedrali Ecclesia dignitates, aut Canonatus habent, & singuli collegiatæ Ecclesiæ quouis nomine præfati, peracto scilicet Missæ sacrificio, cum initium fit sessionis synodalis. At in Missa etiam solenni, cum Episcopus celebrabit.

Singulis



Singulis diebus sermo mane habeatur. Cap. LX.

**M**ane item singulis sessionis diebus, cum sacra preces libro pontificali prescripte, rite habita erunt, concio, sermone Ecclesiastica disciplina rationibus accommodatus, ab Episcopo, vel ab alio eius iussu habeatur.

Signum pro meridiana sessione dandum. Cap. LXI.

**S**essio autem, cum ad horas postmeridianas prorogatur, detur statim hora signum campana ad illius significationem.

Qua induat Episcopus, & orationem pronunciet. Cap. LXII.

**I**n qua continuata sessione Episcopus amictum etiam, albam, stolam, pluviale rubri coloris, pectorale, & mitram preciosam induet, duobus de more assistentibus.

Pronuncietque, Episcopus initio orationem adsumus.

Quotidie antequam dimittatur Clerus orabit. Cap. LXIII.

**V**esperis autem, antequam uniuscuiusque diei sessio dimittatur, clerus unius versus paulum tacitus, sancte, religioseque, oret pro re, de qua orationem fieri in eadem, vel in prima sessione indictum est.

Acta qualiter conscribenda. Cap. LXIII.

**C**ancellarius autem, a promotore rogatus, omnis quotidiana sessionis, tum matutinae, tum pomeridianae acta publica conscribat, in librumque, certum referat.

Benedicat Episcopus. Cap. LXV.

**P**er acta demum tota uniuscuiusque diei sessione, Episcopus de more solenniter benedicat.

Qua addere, & mutare pro opportunitate Episcopo liceat.

Cap. LXVI.

**H**is decretis de Synodi diocesanae habenda ratione, atque usu, addere atque de his mutare aliquid in ijs, quae aut ad dirigenda Synodi rationem, ordinemve, aut ad decretorum Prouincialium, aliarumque sanctionum promulgationem pertinent, Episcopo liceat, prout ex synodi suae diocesanae usu esse videbitur.

Hospitalitas in Coepiscopos seruanda, & sermo ad populum ab hospite, benedictioque; exquirenda. Cap. LXVII.

**Q**uod de Episcopo hospite excipiendo Clemens Pontifex, & Martyr, Apostolica quadam constitutione scribit, & Beatus Ambrosius studiosè

seruauit;



seruauit; id Episcopus ad vsum reuocare studeat, vt Episcopum, qui aliunde venerit, benignè hospitio accipiat; cum eoq; agat, vt die festo, si permanserit sermonem in primis habeat. Est enim, inquit idem Clemens, hospitii hortatio grata, atque utilis. Hoc præterea, etiam si ille renuat, facere cogat, sancta quadam vi charitatis, vt populo benedicat.

Qualiter coepiscopis in calamitate succurrendum.

Cap. LXVIII.

**S**I quando aliquem ex Episcopis huius Prouincię in belli, famis, pestis, aut alias eiusmodi necessitates, aut difficultates (quas Deus, pro sua pietate prohibeat) publicas, vel priuatas incidere contingat; Episcopus opem illi afferre nē differat, tum oratione, & publicis supplicationibus, tum elemosynarum, vt poterit largitione.

Tum omnem aliam etiam rationem ineat, qua fratris Episcopi, ac eius etiā populi laborantis calamitatibus, largē, atq; opportunē succurratur.

Episcopus quem œconomum deligat, & qualiter administrationis liber in Concilio prouinciali exhibendus sit.

Cap. LXVIII.

**S**acro sancti Concilij Calcedonensis canon iubet, ab Episcopo œconomum delegi, & constitui, qui Ecclesię Cathedralis prædia, bona, resq; de illius sententia, & arbitrio administret, vt non modò illa non dissipentur, sed testis sit rectę administrationis, ac dispensationis. Id vt Episcopus seruet, nec verò solùm, quò diligentius bonorum Ecclesię rectę administrationi ad illius Concilij præscriptum consulatur; verùm etiam, quò studiosius Episcopus cum census, suppellectilis, bonorumq; eorum curatorem, administratoremq; habuerit, in rerum spiritualium officijs, quę Episcopalis muneris propria sunt, ipse omni cogitatione, totoq; animo incumbat.

c. Quia in quibusdam. 89. dist.

c. Diaconum 89. dist. vbi glo. in ver. Vicedominum.

Eum verò œconomum, vel vt alio canone cauetur, vicedominum constituat Episcopus, non laicum, neq; sibi cognatione, affinitateve, aut fauore coniunctum, sed Ecclesiasticum hominem: qui & de clero suo, & verò, si talem, qui idoneus sit, habere potest, diaconatu initiatus sit, quiq; in eo administrationis genere, & rectè, & peritè versari possit.

Cuius administrationis rationes in codicem certum rectè ordineq; relatas, tertio quoque anno ad Concilium Prouinciale Episcopus afferat, atque exhibeat, sollicitè pro conscientia sua religione, totius illius dispensationis rationem in eodem Concilio redditurus.

A sententia per Episcopum tanquam ex Concilio delegatum lata, si idem tanquam ordinarius potuisset, appellatio ad Metropolitanum nē impediatur. Cap. LXX.

**Q**uoties Episcopus, etiam tanquam sedis Apostolicę ex decretis Conc. Tridentini delegatus, sententiam in ijs causis tulerit, in quibus ante

Concilium



*Concilium tanquam ordinarij, eadem iurisdictione, potestate ve uti poterat; si ab illius sententia ad Metropolitanum appellabitur, non propterea, quia alia sententia tanquam à sedis Apostolicę delegato pronunciata est, à Metropolitanij iurisdictione subterfugiat, sed appellationis causę cognitio omnis liberè eidem permittatur.*

Quando Episcopus aliquem pro iudiciorum disciplina, & taxa constituat, & quid muneris illi incumbat. Cap. LXXI.

**E**piscopus singulis annis, aut secundo quoque anno Ecclesiasticum virum decernat, qui certis illis legibus exequendis præsit, quæ ad rectum fori Ecclesiastici usum, rectamq; forensium causarum normam, tum ad certam taxæ rationem, omnemq; denique iudiciorum conformandam disciplinam pertinent.

*Is, quæcumque de omni eo genere sancita sunt, omni cautione videat, ut ab ijs quorum interest, planè seruentur, & in morem, quàm diligentissimè fieri potest, inducantur.*

*Causarum acta, & Codices item, in quos solutiones sigillatim relatæ sunt, de improviso inspectet, quò facilius comperiat, si quid culpæ in taxæ præscriptæ ratione contrahatur.*

Cancellarij in taxa delinquentes, & in officio negligentes, qualiter puniendi, & defferendi. Cap. LXXII.

**S**i verò præ questus cupiditate Cancellarius, Notariusve plus pecuniæ, quàm præfixita taxæ ratio postulat, eiusq; tabella ostendit, ab ullo unquam exegerit, id totum eidem restitui iubeat; Et verò qui in eo genere deliquerint, pœnis etiam illos affici ab Episcopo, Vicariove procuret. Ad Episcopum præterea illorum nomina deferat, quos in illis exequendis, quæ sibi præscripta sunt muneri suo deesse aliquo modo animadverterit.

Duos Sacerdotes Vrbanos, & Episcopum Prouincialem pro muneris sui recta exequutione sibi in consultores Episcopus deligat. Cap. LXXIII.

**P**RO ea, quæ Episcopus abundare debet, præstanti cura, proq; illa perfectionis Episcopalis ratione, ad quam omnes eius rationes referuntur, nihil, vel minimum ei prætermittendum est, quò munus, quod multiplex, graueq; gerit, non modò sustinere, sed explere salutariter possit, aliorum etiam subsidijs ad officij sui executionem comparatis. Quamobrem duos sibi Sacerdotes pietatis zelo flagrantès spiritualiq; usu peritos, ac prudentes pro conscientia sua religione, secretò in ciuitate deligat, quorum Sacerdotum officium in primis sit, Episcopum assiduè omni charitate, & humilitate, omniq; debito obseruantia officio priuatim sincerè admonere quicquid opus esse vi-

derint,



derint, cum ad omnis disciplina, tum verò ad Sacri Tridentini, Cõc. & nostro  
in decretorum perfectam, atq; absolutam executionem. Ob eam etiam cau-  
sam aliquem Prouinciæ Episcopum item deligat, qui cum aliquando per li-  
teras pastorales administrationis sue rationes, consilia, omnemq; Ecclesiæ sibi  
commissee benegerendę modum, familiariter communicet; ita ut hoc subsidio  
sibi in omni deliberatione, atq; actione opem, atq; adiumentum paret.

Quid pro exploratione morum familiæ, correptioneque, & institu-  
tione opus sit. Cap. LXXIII.

**V**T autem familiam suam in beneuendi regulis, atq; officijs perpetuo  
contineat; deligat aliquem ex suis virum prudentem, spiritualisq; vite  
studiosum, cui id planè mandet, ut quæ in moribus familiæ emendationem ali-  
quando desiderant, ea quamprimum sibi referat animo simplici, ac puro; ut  
ipse prout opportunum esse viderit, remedium adhibere possit.

At præterea quò diligentius familiæ sue institutioni consulat, cum fra-  
ternam etiam correptionem in eam instituendam curet, tum verò frequentes  
spiritualium rerum collationes, & alias exercitationes, disciplina etiam re-  
gulas, ex Conciliorum Prouincialium decretis præscribat. Quas regulas in  
tabella ordine descriptas ipsi familiæ in conspectu propositas certo loco affigi  
iubeat. Cum verò aliquem in eo adscribet, illas eidem proponat: anteaquam  
in familiam illum adscribat.

Quando Episcopus in infirmitate pro salutaribus colloquijs ad se  
capitulum conuocet. Cap. LXXV.

**S**I quando ex febre, aliove morbo Episcopus laborat, ægrotationis initio,  
ac deinceps aliquando, prout expedire censuerit, Cathedralis Ecclesię  
sue capitulum, cum quo de spiritualis, sanctæq; vite officijs, ac studijs col-  
loquia salutaria ineat, ad se conuocet.

Moribundus auocet clerum, virtutesq; eidem suadeat, & ut hæredi-  
tarias relinquat. Cap. LXXVI.

**Q**uod verò à Sanctissimis Episcopis huius Prouinciæ, præsertim Am-  
brofio, Eusebio Vercellensi, Gaudentio Nouariensi, alijsq; factum esse  
memoriæ proditum est, id proposito etiam ad imitationem illorum exemplo,  
Episcopus exequatur: ut cum periculose ægotans propediem mortem obi-  
bit, Cathedralis Ecclesiæ capitulum, Clerumq; ante conuocet, cui cum pacē,  
charitatem, sanctarumq; virtutum disciplinam suadeat, eamq; quasi hæredi-  
tariam quandam disciplinam relinquat; tum & vniuersè, & sigillatim reli-  
giosis eorum precibus, Sanctisq; sacrificijs sese intimè commendet.

Eucharistia qualiter ab Episcopo egrotante sumenda. Cap. LXXVII.

**E**piscopus cum egrotans in lecto iacet, frequentissimè tamen sacrę Eucha-  
ristiæ pabulo se salutariter reficiat, ac recreet: cui saltē cum primum,

& cum



Et cum pro viatico illam sumet, & semper denique, nisi cum ipse secus iusserit, vniuerso clero, & capitulo Cathedralis Ecclesie prosequente, Archipresbyter, aliusve deferat, & ministret, qui secundum Episcopum primariam dignitatem Sacerdotalem obtinet.

Cura circa clericos aegrotantes per Episcopum habenda.

Cap. LXXVIII.

**E**pisopus, ad quem vniuersi Cleri sui cura, etiam paterna refertur, zelo charitatis accensus, si quem Ecclesiasticum hominem etiam minoris ordinis intra alicuius Parochialis viciniae fines, aegrotantem audierit, ipse aut alius, eius nomine inuisat, & consoletur paternis, & consilijs, & officijs, quae si illi prestare debet, certè multo accuratius, atque adeo ardentiori dilectione exequatur erga eos, quos habet Basilicae suae Cathedralis ministros; & Parochos in animarum salute procuranda adiutores.

Quò verò cumulatius id praestet, pro sollicitudinis paternae zelo id etiam curae suscipiat, ut cum in Vrbe, tum in diocesis partibus distinctis praeter Parochum, vel proprium, vel propinquorem, de quo alias cautum est, certos etiam Sacerdotes charitate flagrantes, vitaeque, spiritualis moribus, & vsu praeditos decernat, quorum manus sit aegrotantibus clericis cuiuscumque ordinis sint, praesertim ope destitutis, praecipuam operam, sollicitudinem, & curam nauare, si qua opus esse viderint, cum in primis ad pie sanctaeque, iuuandam animae salutem, tum ad corporis bene curandi rationem.

Episcopus in penuria annonae egenis qualiter prouideat.

Cap. LXXIX.

**E**pisopus, qui totis in Christo visceribus egentium curam gerere debet, cum ceteras rationes ineat, quibus in difficultate annonae populi sibi commissi egestas subleuetur, tum verò quam diligentissime caueat, ut in rei frumentariae inopia, Ecclesiastici homines frumentum, aliudve alimenti genus, quod ad subleuandam annonam pertineat, ne suppriment, abscondantve. Ac praeterea eos omnes, & singulos paenis propositis, omnique iuris remedio cogat, quicquid frumenti habent, siue proprium, siue alienum in priuatis, aut Ecclesiasticis aedibus reconditum, apud Ecclesiasticum hominem, quem si ita expedire censuerit, eo nomine ipse constituat, sine dolo, & fraude scripto profiteri, eidemque frumenti illius omnis numerum, & conditionem rectè, sincereque denunciare. Et verò si quando annonae grauitas, difficultasque, ita tulerit, id omne frumentum venditioni exponi iubeat, ac vendi, quo pretio illius annonae temporibus in foro frumentario vendi solet.

A qua ducenda seruitus qualiter ab Episcopo determinanda.

Cap. LXXX.

**S**aepe numero accidit de seruitute aquae per alienos agros deducenda, de oryxis intra certos fines non serendis, atque de alijs eius generis rebus,



& causis, controuersias, litesq; inter homines Ecclesiasticos, & laicos excitari. Quamobrem Episcopus, cuius etiam præter cætera munus est, litium occasiones præcidere, & in commune etiam utilitatibus publicis consulere, quæ ad Ecclesiastici ordinis homines pertinere ex Canonum sanctionibus cognouerit, ea edicto etiam Episcopali, si ita expedire censuerit, æquo iure statuatur, ac decernat.

Episcopus iter facturus Diaconum, & Subdiaconum Comites habeat. Cap. LXXXI.

**Q**UOD antiqua disciplina fuit, ut Episcopus iter faciens duos saltem Ecclesiasticos homines, unum Subdiaconum, alterum Diaconum in comitatu haberet; id pro sanctæ sollicitudinis suæ zelo, ipse ad usum renouare curet, cum præsertim ad Concilium accedit.

Qualiter ubi Concilium Prouinciale habebitur ad urbem accedat ingrediatur, & populo benedicat.

Cap. LXXXII.

**V**Rhem, locumve, ubi Concilium Prouinciale celebratur, nulla is vetus, & insigne dignitatis Episcopalis viatorium indutus, decorè ingrediatur; cum ingreditur Sancta charitate, rogatu, & concessu Metropolitanani quodammodo impulsus, in via populo benedicere non recuset.

Primò ad primariam Ecclesiam oraturus accedit.

Cap. LXXXIII.

**P**rimò urbem, locumve Concilij ingressus ad Basilicam Metropolitanam primariamve accedat, ubi paulisper Deum sanctè precetur; & à Canonicis excipietur ad præscriptum Concilij sexti Prouincialis.

Quomodo Concilij Prouincialis causa instituenda, faciendaq; fit oratio. Cap. LXXXIIII.

**C**UM verò Concilij Prouincialis dies instat, oratio sine intermissione, quæ à Clero, & à Regularibus, & à Monialibus religiosè ob eam causam fiat, in Ciuitate instituatur.

Idem in tota diœcesi præstetur: ita ut instituta quadam Parochiarum, regionumve vicissitudine in primaria Ecclesia clerus, populusq; Concilij causa Deum piè oret.

Quid Metropolitanus, & Episcopi in discessu agant.

Cap. LXXXV.

**C**oncilio ritè absoluto, & dimisso; Metropolitanus unumquemq; Episcopum, qui se ad salutandum venerit discedentem, Sancto osculo pacis dimittat, eiusq; orationibus & precibus se se intimè comendet. E Concilio cum

ad h.



ad Stationem Episcopalem Episcopus redibit, paulò ante, quàm itineri se committat ad Ecclesiam Metropolitanam, primariamve veniat, vbi paulisper oret.

Locorum piorum rationes, & earum liberationes nisi consentiente Episcopo ne fiant. Cap. LXXXVI.

**E**piscopus non solum, vt cautum est, locorum piorum administrationis rationibus interfit, sed etiam liberationi illius administrationis. Quae liberatio ab eorum locorum praefectis solum ne fiat, sed praesente, consentienteve Episcopo; alioqui si secus fiet rescissa sit, planeq; nulla ad Tridentini Concilij praescriptum.

sess. 22.  
c. 9. de  
refor.

## DE OFFICIO BIBLIOTHECARIJ & Bibliotheca.

Cura sacrorum librorum habenda. Cap. I.

**S**icut in libris sacris, voluminibusq; Sanctorum, & alijs Ecclesiasticis cuiusvis generis Codicibus, copiose, sumptuoseq; comparandis, diligens fuit accurataq; maiorum industria: ita in ijs ipsis aservandis illorum, qui successerunt non negligens studium, nec verò cura minor esse debet: cum ex ijs manu praesertim scriptis, recteq; exaratis voluminibus, in tanta librorum corruptela, his temporibus, per hereticos introducta, plurimum adiumenti rebus Ecclesiasticis publicis afferatur, & ad Catholicæ doctrinae veritatem tuendam, & ad coarctandam illorum, vitiosè illa depravantium, temeritatem.

Index librorum qualiter faciendus, & aservandus.

Cap. I I.

**I**ndex fiat, in quo pro disciplinarum genere, aut pro alphabeti ratione, Volumina singula notentur. Isq; index certo loco in perpetuum aservetur, notatis etiam deinceps ordinè alijs libris, quicumque in posterum eidem Bibliothecæ, quovis modo accesserint.

Vetusti codices qualiter refarciendi. Cap. III.

**V**olumina, quæ pro vetustate, carie, sive obsolescunt, librario opere poliantur.

Dissoluta, & malè compacta, conglutinentur.

Ab operculo nuda, asseribus, coriove, tegantur.



## Prosequutio prædictorum. Cap. IIII.

**V**etustate, aliove modo consumpta, reconcinrentur, & ad perpetuitatem opere recenti, nouisq; librarijs integumentis instaurantur.

## Dies voluminum qualiter in indice scribendus. Cap. V.

**S**i præterea quo anno vnumquodq; volumen, manu exaratum sit, animaduerti potest, id etiam breuiter in eo indice notetur; tum præterea quo caractere scriptum, vt ex ijs antiquitas colligi possit, qua aliquando vsui, & vtilitati Ecclesie publicæ esset, ad emendatam voluminum impressionem.

## Bibliothecarius qualiter eligendus. Cap. VI.

**E**piscopus, de consilio Capituli, Canonicum aliquem, vsu peritum literarum studiosum, & instruendam augendamq; Bibliothecam cupidum ad eius nutum amouibilem, constituat; qui illius curæ diligenter præsit.

Bibliotheca qualiter intusenda, & quorum vsui accommodanda.

## Cap. VII.

**C**ura verò Episcopi omnino sit, Bibliothecam aliquando inuisere; siq; per eum, & per Canonicos ratio aliqua iniri potest, qua in Bibliotheca librorum Ecclesiasticorum copia augeatur; id sollicitè curetur, vt eiusmodi librorum apparatus, publicæ Episcopali, Canonicali, clericali, commoditati atque vsui consultum sit.

## DE MAIORITATE, ET OBEDIENTIA.

Quis loci ordo incedendo, sedendoq; inter dignitates, vel Canonicatus obtinentes habeatur. Cap. I.



**C**ANONICIS hæc sit sedendi, publicæq; & collegialiter incedendi præscripta ratio. Primum locum post eos, qui in illis, aliqua præditi dignitate sunt, teneant Canonici, qui præbyterales; secundum, qui diaconales; tertium, qui subdiaconales præbendas, Canonicatusve obtinent.

Qui ordo seruetur, etiam si præbyter Canonicus aliquis præbendam, Canonicatumve præbyteralem post obtinuit, quàm Diaconus quispiam, aut Subdiaconus Canonicus. Itidem iuris sit Diacono, ratione Subdiaconi. In Canonicis autem præbyterales præbendas obtinentibus, is loco prior sit, qui tempore etiam prior, Canonicatus, præbendæve possessionem adeptus est. Hæc ordinis ratio à Diaconis teneatur; eademq; præterea à Subdiaconis quod locum habeant sine præiudicio nunc viuentium, quibus præiudicare non intendimus.

Commil-



Commiffum officium qualiter sub pœna recusari nequeat.

Cap. I I.

**N**E cui officium quod sibi capitulum commiserit, recusare liceat, nisi legitima de causa, quæ latis occultè suffragijs capitulo probetur.

Qui aliter recusarit, quantum pecuniæ caperet, per sex menses Ecclesiæ, assidue inseruiendo, tantundem amittat. Qui verò iniuriam sibi à capitulo fieri putat; ad Episcopum confugiat, qui rem omnem cognoscat, & definiat.

A quo mensa fit Benedicenda. Cap. III.

**N**E minoris ordinis Clericus, alio, qui maiore ordine initiatus est, præfente, mensa benedicat; sed hoc munus sit, vel Sacerdotis, vel illius, qui maioris ordinis clericus præfens in mensa adest.

Legato Pontificis, vel Cardinali, aut Metropolitanò, seu Visitatori, qualiter contactus Episcopus occurrat.

Cap. IIII.

**S**I quando contigerit, ut legatum Pontificium, vel Cardinalem S. R. E. aduentare, aut diuertere in diœcesim, aut in ea diutius etiam commorari, tunc Episcopus, cum ei obuiam prodit, aut congressum, colloquiumve cum eo habet, aut deniq; in eius conspectu præfens, siue publice, siue priuatim adest, ne rochetum detectum ferat, sed superiori veste contegat.

Eundem honorem tribuat, deferatve Metropolitanò, & Apostolico suæ Ecclesiæ Visitatori.

Quis Episcopus in aliena diœcesi sine licentia nè Pontificia exerceat, & à quo concedi valeat.

Cap. V.

**N**E prelati exempti, etiam si Episcopus sit, in alienam diœcesim, intra cuius fines Ecclesiam quomodocumq; exemptam obtinet, quæ iam inde etiam ab immemorabili vsque tempore iurisdictionem spiritualem habet, alium Episcopum inducat, neq; ad sacrum oleum conficiendum, neq; ad chrisma ministrandum, neque ad consecrandam Ecclesiam, neque ad alia Pontificalia munera obcunda, exercenda: nec verò ipse illa ipsa officia munerave ministret, aut exerceat, sine Episcopi diœcesani concessu.

Ne item prelati inferior, etiam exempti in Ecclesia, loco ve, vbi iurisdictione spiritali vtitur, Episcopo extraneo potestatem faciat ministrandi Pontificalia munera.



Quibus ex confratribus dignior locus ex Bulla Pontificia sit tribuendus. Cap. VI.

**V**T multarum controuersiarum, dissensionumve, quæ in plerisque confratribus ex eo, quod priorem locum appetunt multis diæcesis locis magna cum populi offensione oriuntur, occasio tollatur: hoc decernimus, eas confratrias, eorumque confratres, scholaresve, qui in posterum, locum in publicis processionibus, sumpto de Episcopi, aut Sanctæ Sedis Apostolicæ facultate habitu, sibi dari petierint, atque obtinuerint, debere locum digniorem alijs confratribus cedere, qui habitu antiquiores consueuerunt illas supplicationes antea obire, etiam si ipsa tempore antiquiores sint, maioribusque priuilegijs communita, ex Constitutione Gregorij XIII. in fine huius libri impressa.

Decreta omnia censuræ Apostolicæ subijciuntur.  
Cap. VII.

**O**Mnia & singula, quæ à nobis in hoc volumine decreta, actaque sunt qua debemus obedientia, ac reuerentia, auctoritati, ac iudicio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, omnium Ecclesiarum matri, & magistræ semper emendanda, & corripienda subijcimus.

Finis primæ partis.

